




UC-NRLF
B 2 868 681



6.

De Liberi apud Romanos cultu capita duo.

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores
ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine
rite capessendos

scripsit

Adamus Schnegelsberg.



Marpurgi Chattorum
Typis Friederici Soemmering
MDCCCLXXXXV.

Dissertatio
ab amplissimo philosophorum Marpurgensium ordine probata
a. d. V. Id. Novembres
a. MDCCCLXXXXIV.

GEORGIO · WISSOWA

SACRUM

De Libero Romanorum deo cum egregium commentarium scripserit G. Wissowa in Roscheri lexico mythologico II 2023 sqq. et exquisita doctrina testimoniis quae extant usus deum eiusque cultum tam perspicue et dilucide descripserit, ut unde ortus ac quo modo a Romanis cultus sit vix moveat ullas dubitationes graviores, tamen ipsius operis consilio et dispositione effectum est, ut nonnulla leviter tantum strinxerit vir doctus aliisque quibus ipsius commentatio suppleri possit reliquerit. Quocirca ego ipso Georgio Wissowa monente hoc libello disputare institui et de titulis monumentisque ad Liberi cultum pertinentibus et de Liberi dei origine religionisque mutationibus.

Sed antequam ad id quod mihi propositum est accedam, qualis Liber a Romanis per temporum spatium cultus esse videatur brevi exponere oportebit. Ac primum quidem confugimus ad hemerologia, quae certissima de prisca Romanorum religione testimonia continere Theodorus Mommsen nos edocuit.[1] Ibi ad Mart. 17 sacrum adnotatum videmus in fastis Caeretanis *Libero Lib(erae)*, in fastis Farnesianis *Libero in Cap(itolio)* et eodem die ferias in fastis Caeretanis *LIB(eralia)*, in fastis Vaticanis *[LI] B(eralia)*, in fastis Maffeianis et Farnesianis *LIBER(alia)*. Libero priscis

[1]) Cf. etiam Georgii Wissowa de feriis anni Roman. vetustissimi observ. sel. in ind. lect. Marp. 1891 p. IV: *Fastis nihil est pretiosius, quia soli eam nobis monstrant religionis Romanae aetatem, quae adhuc immunis erat a graecarum fabularum infectione.*

temporibus publice sacrum esse oblatum idque in sacello Capitolino inde apparet. Praeterea hanc Liberi aedem nusquam tactam video nisi in titulo C.I.L. X 1402 Neapoli reperto, qui descriptus et recognitus est *ex tabula aenea, quae fixa est Romae in Capitolio in podio arae gentis Iuliae latere dextro ante signu(m) Libe(ri) patris.* Hic Liber, cui e more Romanorum Libera dea adiuncta est, deus est Romanorum indigena eique soli dicata sunt Liberalia.

Verum alia de Libero qui vocatur Capitolino eiusque cultu vestigia frustra quaeras. Dionysius enim ant. VI 17. 94 et Tacitus ann. II 49 memoriae prodiderunt anno 496 a. C. n. e libris Sibyllinis Romae aedem Cereris Liberi Liberaeque esse conditam, quae trias Graeca e Graecia magna traducta deos Romanorum indigetes tanta obruit oblivione, ut neque scriptores rerum neque lapides quidquam ad haec numina pertinens afferant. Nam ubicunque Liberalia memorata invenis — in inscriptionibus nusquam extant — a Naevio ap. Fest. ep. 116 (com. frg. 113 Ribb.), a Suetonio ap. Diom. p. 487 Keil, a Servio ad Verg. Georg. II 383, a Tertulliano de spect. 5. 10, ab Ausonio de fer. 29 habes vel ferias Graecas, ita ut Liberalia posita sint pro Διονύσια, vel cogitandum est de Cerealibus, quae item Libero Liberaeque consecrata esse et fastis Esquilinis *CER(ialia) Cereri Libero [Liberae]* (CIL I² p. 315) et testimoniis Ciceronis c. Verr. V 36, Servii ad Verg. Georg. I 7, Cypriani de spect. 4, Ovidii fast. III 785 comprobatur. Praeterea Liberalium nomen ad diem XVI Kal. April. denotandam adhiberi videmus a Cicerone ad Att. IX 9. XIV 10, 1; ad fam. XII 25, 1, ab auctore belli Hispaniensis c. 31 [1]), unde nihil sequitur. At quae Varro de l. l. VI 14 et Ovidius fast. III 713 sq. de feriis ipsis a. d. XVI Kal. April. Libero celebratis nobis tradiderunt, ea ut ad Liberum illum priscum referri possint tantum abesse, ut ne minimam quidem memoriam dei indigetis

[1]) Cf. J. Marquardt Röm. Staatsverw. I p. 365.

a Romanis esse servatam inde appareat infra capite secundo exponam.

Sed ne Graecum quidem numen usque ad ultima tempora eodem semper cultu aut eadem veneratione apud Romanos esse usum exploratum habemus. Ac primo quidem Liber erat agrestis tantum deus, qui vinum potissimum largiri ac tutari credebatur. Deinde recentissimis demum liberae reipublicae temporibus cum religio Romanorum depravari coepit mystica Dionysi vis etiam Libero est attributa.

Denique Liber item atque Hercules, Aesculapius, alii ob merita sua in caelum ascendisse creditus est, qua in re maxime Liberi Indiam domantis fabulae ferebantur. Cuius religionis meminit Cicero legem hanc sanciens de leg. II § 19: *divos et eos, qui caelestes semper habiti, colunto et ollos, quos endo caelo merita locaverint, Herculem, Liberum, Aesculapium* . . . . et Horatius aliique poetae pluries Liberum heroem orbem terrarum subigentem celebrant. Neque vero desunt, quibus hanc Graecorum opinionem a Romanis non solum per litteras aut poetice assumptam, sed etiam in hominum animos penetrasse eluceat. Valerius enim Maximus III 6, 6 Marium Cimbris Teutonibusque victis victoriae Liberi patris Indicum ex Asia deducentis triumphum suas victorias comparasse narrat (cf. Plin. N. H. XXXIII 150), quod idem de Pompeio tradidit Plinius VII 95. Et in eundem Liberum cadit id quod Velleius Paterculus II 82 de Antonio incessum Liberi patris fingente narrat. Denique huc vocare iuvat id quod Dio Cassius LXXVI 16 nobis tradidit, Septimium Severum *καὶ τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ἡρακλεῖ νεὼν ὑπερμεγέθη* exstruxisse. Eiusdem Liberi imaginem in nummis huius aliorumque imperatorum expressam videmus.

Iam quoniam de diversitate apud Romanos Liberi numinis pauca praefatus sum, aggredior ad primum dissertationis meae capitulum quae tituli de Liberi cultu naturaque exhibeant compositurus.

Caput I.

De titulis monumentisque ad Liberi cultum pertinentibus.

Inscriptiones, quibus Liber nominatur, numerantur paene 180. Repertae sunt tota parte imperii Romani occidentali et omnes Britannia excepta provinciae habent titulos, verum non parem numerum. Provinciae enim ad Danubium sitae Dalmatia, Pannonia, Dacia, Moesia offerunt plus 70 titulos, Italia cum Gallia cisalpina 60 fere, Africa plus 20, Hispania 8, Gallia Narbonensis 7, Macedonia 3, Helvetia 1, Noricum 1, Germaniae 2. Italia quod alias regiones superat admirationem non movet; at de provinciis ad Danubium sitis vide quae infra dicam. In Oriente unus lapis effossus est Beryti, in Syriae oppido, CIL III 160. Quem cum valde suspectus sit non respicientes[1]) videmus in omnibus terris iis, in quas mores consuetudinesque Romanorum translata sunt, Liberum quoque esse cultum.[2])

---

[1]) CIL III 291 in Pisidia rep. legitur fortasse *thiasus Lib(eri)* pro *Thiasus lib(ertus)*; lapis positus est in memoriam legati Augusti pro praetore.

[2]) In titulis ubique invenitur nomen *Liber*; *Bacchus* quinquies legitur, ubi de Graeca titulorum origine dubitari non potest: CIL VI 48. 49. 2254. Eph. ep. IV 874 (cf. Kaibel, inscr. Graec. Sic. et Ital. 1366). 876. Praeterea inveni *Bromium* in VI 462 et *Lenaeum patrem* in carmine (VIII 2632). Deus in titulis appellatus est *Liber*, *Liber Augustus*, *deus Liber*, *deus sanctus Liber*, *deus Liber aeternus* (? III 8673), *Liber pater*, *Liber pater Augustus*, *deus Liber pater*, *Liber magnus pater*, *Liber pater sanctus*, sed multo frequentius *Liber pater* quam *Liber* (3 : 1). Nam etsi omnes dii a Romanis vocantur patres (cf. Prelleri myth. Rom.[3] I p. 56. Zinzow, der Vaterbegriff bei den römischen Gottheiten. Gymn. Progr. Pyritz 1866. Lucilii frg. 8 Bähr. ap. Lactant. inst. IV 3, 12), tamen Iove misso Liber ante ceteros deos illo attributo ornatus est. Et hic mos proprie Romanus; nam numen Graecum epitheton *patrem* rarissime fert: quinquies legitur πατήρ (v. quae composuit Bruchmann, epitheta deorum, quae apud Graecos poetas leguntur. Suppl. ad Roscheri lex. myth. s. v. Διόνυσος). *Bacchus pater*, quem poetae Romani admodum diligunt, nusquam extat. — Scriptores, qui pedestri sermone utuntur, item solum nomen *Liberum* usurpant. At poetae

Quattuor tituli repetuntur a republica libera: I 174. 1182. 1469 = III 1784. I 1470 = III 1785. I 174 dativum *Lebro* solum praebens recedit in saeculum urbis V vel VI. Reliqui tres tituli cum tempus accurate describi non possit usque ad Caesarem descendere possunt. Ceteri orti sunt imperatorum temporibus, plurimi II vel III p. C. saeculo.

Pervenimus nunc ad inscriptiones singulas inspiciendas, et primum quidem Romae urbis et Latii titulos huc appono. VI 467: *deo sancto numini / deo magno Libero / patri et adstatori / et conserbatori h(uius) l(oci) coll(egii) / Velabrensium / Domitius Secundus curat(or) / et restaurator fratrib(us) suis.* VI 468: *Libero patri / sancto sacr(um) / Sex. Caelius / Primitivus et / Publicia Antulla / voto suscepto / d. d* et in parte aversa: *dedicaverunt / idib. Octobr. / Cn. Pompeio Feroce / Liciniano cos. / C. Pomponio Rufo;* extat in ara marmorea eleganter sculpta, in cuius latere dextro panthera visitur, in latere sinistro hircus ad vitem erectus uvas appetens. Haec inscriptio lucem accipit e menologiis rusticis, quae adnotant mense Octobri *Libero sacrum*, ad quod Th. Mommsen CIL I² p. 382: *Sacrum Libero apud antiquiores non memoratum idibus Octobribus adscripsi propter duas causas, primum quod in interpretatione Gothica cod. Theod. II 8, 19 vindemiales feriae a X kal. Sept. ad Id. Oct. extenduntur, deinde quod legitur in feriali Campano anni 387: idus Oct. vindemia Acerusae (CIL X 3792). Accedunt tituli duo urbani eo die dedicati alter a. 68 Libertatis restitutae (VI 471: imaginum domus / Aug(ustae) cultorib(us) signum / Libertatis restitutae / Ser. Galbae imperatoris Aug. / cura-*

cognomina praeferunt Graeca, ante omnia *Bacchum*, quod nomen apud Graecos poetas raro, tricies fere, legis (v. Bruchmann l. l.). Qua de re paulo diligentius investigans observavi poetas vetustioris aetatis Romanos *Liberum* maluisse — Plautus et Terentius aliud nomen non noscunt — deinde nomen vernaculum magis magisque cessisse externis adeo, ut apud poetas Augustei iam aevi *Liber* rarissime occurrat. Nomina promiscue notione vocabuli Graeci non respecta adhibentur: modo hanc modo illam partem dei naturae significant.

tores anni secundi), alter anni incerti (VI 468). In urbe hoc sacrum institutionis omnino recentioris successit fortasse in locum vetusti equi sacrificii prope ciconias nixas ibidemque ad ciconias nixas ara publica vinaria stationem habuit [1] *(VI 1785).* VI 8826: *collegio Liberi patris et Mercurii / negotiantium cellarum vina/riarum Novae et Arrunti/anae Caesaris n(ostri) / Cinnamus ver/na dispensator* a. 102. Hi tituli ad Liberum vini deum aperte pertinent.

Idem numen, agreste nimirum, respectum habemus in VI 294 *(Libero Silvano Herculi diis sanctis d. d. Ti. Iulius Alexander)* et 694 *(Silvano / sanc(to) sacr(um) / et Libero pat(ri) / A. Caedicius / Theophilus / ex viso d(ei) pos(uit))*, in quibus Silvanus Libero adiunctus cultum rusticum arguit. Eodem spectat Hercules tertius nonnumquam additus (Preller, myth. Rom.[3] II p. 282. R. Peter in Roscheri lexico myth. I p. 2957). Eandem coniunctionem mecum statues in VI 707 *(Sol(i) Serapi Iovi / Libero patri / et Mercurio / et Silvan(o) sacr(um) / C. Corneli(us) Hon/oratus d(onum) d(edit) d(edicavit)).* Graecam auctoritatem valde redolet VI 462 saeculi c. IV *(Hic fuit horridus / ante locus / Asteri consilio coe / ptus Liberi ter Bromi*(que ?) *Silvigeri dei auxilium / renovatum in urbe)*, ad quem titulum adnotat Henzen: *haec scripta fuerunt opinor sub aedicula Liberi et Silvani, quales reperiuntur non raro. Ille cur ter Liber appelletur, explicare non possum; hic est sine dubio Silvanus dendrophorus.* 564 est valde mutilatus, sed dedicantur *sigill(a) Priap(i) Liber(i).*

[1]) Primum titulum Th. Mommsen mihi videtur iniuria huc apposuisse. Nam Libero et Libertati easdem esse potestates nullo exemplo comprobari vides. Neque enim ille est vindex libertatis (v. quae infra dicam) neque huic est ulla cum vino necessitudo. De causa autem, cur tit. VI 471 Libertati restitutae sit dedicatus cf. Suet. Ner. 12: (mors Neronis) *tantum gaudium publice praebuit, ut plebs pilleata tota urbe discurreret* et Eckhel VII p. 295, ubi extant nummi Galbae imagine Libertatis ornati. Idibus vero Octobribus titulus ut dedicaretur quin casu acciderit non dubito ob VI 472 item Libertati consecratum ab imperatore Nerva XIV Kal. Oct.

Nec non ausim Georgio Wissowa adstipulari eidem Libero attribuenti VI 463 *(Kalandio pro sua salute donum / [L]ibero Kalliniciano)* et 466 *(Libe[r]o patri Procliano sacru(m) / C. Avillius C. f. Romilia Ligurius / Lucanus pater viator IIIviralis / IIIIviralis sacerdos Isis et . . .)*. Liber enim est cognominatus nomine certi praedii vel domini eius, idemque inscriptiones nos docere de Silvano et Hercule commemorant J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III [2] p. 128 adn. 10 et R. Peter in Roscheri lex. myth. I p. 2957.

Venio ad Liberum mysticum. Tempore religionis veteris emorientis Liberum coniunctum videmus cum aliis numinibus mysticis, maxime cum Hecate sive Diana triformi. Ita commemoratur VI 500 *hierocery x i(nvicti) M(ithrae) s(acerdos) d(ei) L(iberi) s(acerdos) d(eae) H(ecatae)*; 504 *pater et hieroceryx d(ei) s(olis) i(nvicti) M(ithrae) archibucolus dei Liberi hierofanta Hecatae sacerdos Isidis*; 507 *pater sacrorum invicti Mithrae hierophantes Liberi patris et Hecatarum*; 510 *pater patrum dei solis invicti Mithrae hierofanta Hecatarum dei Liberi archibucolus*; omnes tituli sunt saeculi p. C. IV. Sed iam prius religionis mysticae testem tenemus titulum VI 461 *(pro salutem et victorias d(ominorum) n(ostrorum) / imp(eratorum) Severi et Antonini Aug(ustorum) / et Iuliae Aug(ustae) matri Aug(ustorum) totiusq(ue) / domus divinae eorum / ex concessu in praediis suis sacrarium / dei Liberi cum aedicula et colum/nis suis inpendis marmora[r]un[t] / et arcam et ortulum super nym/phis qui locus appellatur Memphi / donum dederunt spirae)*, ad quem Henzen: *spira nomen est collegii mystici religioni potissimum Bacchicae addicti.* VI 2251 *Pontius Da/duchus spi/rarches Li/beris patris / stibadium restit/uit loco suo* et 2252 *Achilleus spirarch [es Li] beris pat(ris) stibadium [res]/tituit loco suo.* Neque desunt huius modi tituli Graeco deo dedicati; praebet Kaibel, inscr. Gr. Sic. et It. 925 Ostiae rep. (*ἁγνῆς εὐσεμνοῖο σπείρης Τραιανησίων οἵδε ἱερεῖς ἱέρειά τε θεοῦ μεγάλου Διονύσου Λ. Σούλλιος Λεωνίδης καὶ Ἰουλία Ῥουφεῖνα ἐπὶ*

παραστάτῃ Σεκούνδῳ) et 977 Romae rep.; n. 925 respondet titulo latino XIV 4 Ostiae item reperto, ubi mentio fit *Dianae* et *Traianensium Portuensium.*[1]) Neque dubitari potest, quin etiam spirae VI 76. 261 dictae collegia fuerint Liberi; hic titulus est in basi parvae statuae Hecates sive Dianae triformis, quam cum Libero coniungi solere satis iam pro explorato habemus.

Huc referendus est etiam *Liber Pantheus,* quod cognomen naturam agrestis vere dei prorsus excedit. Praenestini enim XIV 2865 dedicant *Fortunae Primig(eniae) / signum Liberis pa(tris) / Panthei cum suis par(ergis).* Qui Liber Pantheus iterum occurrit IX 3145 et apud Ausonium in ep. 30 dedicato *Liberi patris signo marmoreo in villa nostra omnium deorum argumenta habentis.*

Collegium Liberi memoratur VI 8796 in basi statuae Liberi *(M. Aurelius Successus Aug(usti) / lib(ertus) a cur(a) amicor(um) q(uin)q(ennalis)* (sc. collegii Liberi) *et / Pomponia Victorina mat(er) / coll(egii) Liberi patris d. d.).* Quod collegium cui Liberi templo adnexum fuerit [2]) diiudicari non potest; nam etiam sacella privata nobis ignota huc spectant. Sed titulum pertinere ad mysticum numen manifestum est [3]): *pater* et *mater* nomina sunt magistralium collegiorum mysticorum; accedit, ut mulier sacerdotio functa sit. [4])

---

[1]) Hoc monet H. Dessau in adnotatione ad hunc titulum.

[2]) Cf. J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III² p. 135, qui in adnotatione etiam titulum nostrum affert.

[3]) Quamobrem initio cogitavi de fano Liberi a Martiale I 70 memorato *(flecte vias hac qua madidi sunt tecta Lyaei Et Cybeles picto stat Corybante torus),* cuius aedis situs prope Cybeles templum mysticum numen lucide ostendit.

[4]) A. Voigt in Roscheri lex. myth. I p. 1036 dicit: Charakteristisch ist, dass dem Bacchus orgiastisch von Weibern gedient wird, abweichend von der sonst üblichen Bedienung der Gottheit durch Personen gleichen Geschlechts.

Aliquid novi comperimus e titulo XIV 30 Ostiae reperto. Ibi enim legitur: *pro salute imp. / M. Aureli Commodi / Antonini Aug(usti) / Pii Felicis / Libero patri / Commodiano / sacrum / Iunia Marciane / ex voto fecit.*[1]) Hic *Liber pater Commodianus* idem vult quod *Liber pater Augustus* saepius cultus.[2]) *Augusti* autem cognominabantur dii habiti digni qui praesides domus imperatoriae essent: ita tituli complures deos Augustos exhibent, Iovem, Herculem, Silvanum, alios. Quae cum ita sint, non miramur, quod Libero pro salute imperatorum sacrificatur. Quod vero attinet ad naturam dei, tenemus Graecum deum ab hominibus ad immortales promotum, cui item pro salute imperatorum sacrum datur.[3])

Nihil praebent ad cultum Liberi inlustrandum tituli VI 464. 465. XIV 27—29. Eph. ep. VII 1195 (Ostiae reperti).

Nec parva auctoritate usus esse videtur Liber apud Volscos. Atinae repertus est X 5045 *([Se]cundio Numisiae L. [f.] Priscae / Liberi aedem a fundamentis / fecit cic. cum* (conicitur probabiliter *signum) Deane posuitque).* Diana cum Libero coniuncta est etiam in titulo III 4363, unde ad naturam Liberi pernoscendam vix quicquam hauriri potest, sed in mentem veniunt VI 261 atque XIV 4[4]), quibus Romae et Ostiae spira, collegium mysticum religioni Liberi addictum, etiam Dianam i. e. Hecaten coluisse demonstratur, et VI 500. 504. 507. 510 Hecates Liberique praebentium sacerdotes.[5]) Quamobrem etsi Dianam ad agriculturam

---

[1]) Moneo eiusdem imperatoris nummis inscriptum esse *Herculem Commodianum* (v. Cohen, méd. imp. III p. 137 n. 530).

[2]) Habes in II 1109. 2105. III 1787. 1788. 2730. 3045. 3234. 3464. 3466. 3956. 4297. V 326. VIII 73. 1178. 10867. Suppl. 14546. X 6435.

[3]) Kaibel l. l. n. 976 Romae: *ὑπὲρ σωτη]ρίας καὶ νείκ[ης τοῦ κυρίου αὐτοκράτορος Ἀν]τωνείνου Φή[λικος καὶ το]ῦ δήμου Ῥωμα[ίων . . . .] Διονύσῳ.*

[4]) Cf. p. 8.

[5]) Cf. p. 7.

pertinere ideoque in titulis Dianam et Silvanum coniungi non ignoro, tamen contendo X 5045 dedicanti numen mysticum esse obversatum, praesertim cum apud Volscos etiam alia huius cultus exempla extent. Corae enim X 6510 *Libero patri / spira Ulubrana / d(e) s(ua) p(ecunia) f(ecit).* Et 6435 Priverni *Libero / Aug(usto) sacr(um) / Alfius Pro/tus sac(erdos) / et Lucilius / Martensis / pat(er) sig(num) Lib(eri) / d(ei) posuer(unt) / Mol(lius) Neoesius et / Aur. Sabinus basem d. d.; pater* nomen pertinet ad numen mysticum (v. p. 8). X 5422 = I 1182 *(Serviai C. f. / sacerdotis Liberi / publicai Aquinatis)* in memoriam nostram vocat sacerdotes publicas Cereris saepissime in Graecia magna repertas.[1]) Iam vero G. Wissowa l. l. p. 2025 scribit: *man wird daher auch ohne Bedenken annehmen dürfen, dass die in Rom von Staats wegen bestellten sacerdotes Cereris publicae auch den Dienst von Liber und Libera mitversahen.* Quod si verum est, Servia quin sacris praefuerit triadis ita, ut praeter consuetudinem non Ceres, sed Liber primum tenuerit locum dubitationi omni est exemptum. Itaque mulierem sacerdotem fuisse vini dei non est cur miremur.

Aetate Caracallae scripti sunt Puteolis X 1583 *(Libero patri / sacrum / T. T. Flavii Ecle/ctianus et Olym/pianus fil. eius / sacerdotes / Orgiophantae)* et 1584 *(Libero patri sa/crum XV annale / T. Fl. Eglectiani sacerd(otis) Aurel(ius) Aug(usti) lib(ertus) Draco / parastata consacravit)*, ad quos Mommsen: *ut ὀργιοφάντης ad mysteria pertinet, ita παραστάτης orgiophantae adiutor est. Ad taurobolia ducit sacrum vicennale.* Ad eandem rem pertinet 1585, cuius *sacerdos Cererum* nos iterum ducit ad triadem Cererem Liberum Liberam, quos tres deos a Graecis mystice admodum solere coli satis constat, et *thiasus* quoque *Placidianus* respicit ad numen mysticum. Sacerdotem Liberi affert X 3705 Cumis effossus.

---

[1]) Habes IX, 4200. X, 812. 1074 a (Pompeis). 1829. 1812 (Puteolis).

Sardiniae titulus X 7556 (*Libero donu(m) / ex testa / mento / M. Ereni / Fausti*) dedicatus est deo Graeco, cui item Kaibel l. l. n. 605: Κ]ρά[τη]ς Διονύσ[ῳ] ἀνέθηκ[εν].

Voluminis IX tituli omnes praeter 3145 spectant ad deum agrestem. Tit. 3145 Corfinii rep. *Libero / Pantheo / sacr(um)* componendus est cum XIV 2865, de quo dixi p. 8. Apud Sabinos est repertus Amiterninus IX 4513 *(pro salute / P. Betuleni / Apri liberis / que eius Iovi o(ptimo) m(aximo) Libero Lib(erae) / Niceforus act(or) / v. s.)*, de quo Th. Mommsen et H. Jordan [1]) inter se dissentiunt ita, ut ille tres deos Iovem Liberum Liberam dignoscere velit, hic cur Iovi optimo maximo Libero propter memoriam Liberi Libera esse adiecta nequierit non intellegat; et res est incerta. Sed Th. Mommseni coniecturam accipientes et ordo dedicantis et coniunctio cum Iove (v. infra) nos monent, ut cogitemus de numine agresti. Eph. ep. VIII 198 nimis mutilatus est, quam ut praeter nomen dei aliquid certius legi possit. Aveiae Vestinorum reperti sunt IX 3571 a. 96 p. C. *(L(ibero) p(atri) Festus Cati Frontonis vil(icus))*; attributa sunt figura stans scyphum dextra tenens, sinistram innixa baculo, panthera pedem tollens, vitis, a qua cymbala pendent; in lateribus tibia recta, tibia curva, patera; 3603 *(sign(um) Lib(eri) patris et Silvani / Caesi Festus et Qui / rinalis pater et fil(ius) / VI viri Aug(ustales).* [2])

E Samnitibus prodierunt quattuor tituli: in Hirpinis 1500 *(Liber(o))*; Telesiae 2197 *(Ti. Claudio Ner(one) P. Quintilio Varo cos.* (a. u. c. 741) *L. Octavius Charito operi / faciundo praefuit et pariete(m) / supra arcus de suo fecit / signum Liberi et Priapisci / posuit)*; Priapiscus simul cultus etiam Liberum naturam agrestem prae se ferre demonstrat; 2251 *(C. Manlius Charito / sevir Aug(ustalis) sacerdos Liberi / Manlius Tertius Manlius / Nicolaus sacer / [dot]es Liberi / .....)*.

---

[1]) Anal. epigr. lat. Ind. lect. Regim. 1886/87 p. 4.

[2]) Vide quae de Libero et Silvano p. 6 dixi.

Aeserniae 2631 dedicatus est *Libero / Gratilliano,* quod cognomen componimus cum Kalliniciano et Procliano p. 7.

Pauca dicenda sunt de inscriptionibus Etruriae, Umbriae, Aemiliae. Arretii est repertus XI 1822, unde nihil potest hauriri. XI 1355 *([pro salute] imp(eratoris) Caes(aris) M. Aurelii [Antonin]i Pii Felicis August(i) [et Iuliae] Augustae matris Au[gusti n(ostri) et ca]strorum totiusque [domus di]vinae et pro statu ci[? vitatis et cu]riae Lunae sac(erdotes) arar(um) [I(ovis) o(ptimi) m(aximi)] et [Libe]ri patris),* unde de Liberi natura nihil colligitur; sed magnam fuisse necessitudinem Libero cum Iove apparet. Atque eadem numina coniuncta praebent IX 4513 (v. p. 11) et V 5543 in finitima regione repertus Galliae cisalpinae, ubi legitur: *I(ovi) o(ptimo) m(aximo) C(apitolino) / et Libero / patri vini/arum con/servator(i) / Verus et Va/lerius Vale/ri Maximi / v. s. l. m.* Hic Liber est deus vini, quem etiam Lunae cultum esse posse quis est qui neget? Itemque deus vini nobis occurrere videtur in titulo Ariminensi XI 358, ubi *Tullius Zoticus VI vir Aug(ustalis)* in aede Liberi patris signum *cum redimiculo auri et thyrso et cantharo arg(enteo)* dedicat. Bononiensis titulus XI 715 (= VI 460) nullius est momenti.[1]) De titulo item Bononiensi XI 698 reliquisque Galliae cisalpinae titulis disseram coniunctim cum inscriptionibus voluminis III.

Sed priusquam titulos Italicos relinquamus, pauca dicam de dedicantium condicione. Etenim qua auctoritate numen usum sit dignitas eius, qui deo sacrum dat, lucide inlustrat. Iam vero desunt in Italia magistratus Liberum venerantes,

[1]) Legis: *memoriam / P. Corneli / Saturnini / magistralis / Cornelia prima uxor / ex indulgentia colleg(ii) / signum Liberi / basim causas* (rectius *caulas* cf. J. Marquardt Röm. Staatsverw. III p. 153 adn.) *d. d.* E. Bormannus ad titulum adnotat Fredericum Rocchi de hac inscriptione disputantem recte coniecisse in principio tituli perisse nomen collegii, in cuius usum res donatae destinatae fuissent. Prohibemur ergo cogitare de *collegio Liberi.*

quos in provinciis reperimus. Itaque deus noster inferiorem ibi locum obtinuisse videtur quam in provinciis, quam coniecturam fulciri opinor eo, quod seviri Augustales, qui omnes fere libertini fuerunt, sacerdotio Liberi functi sunt; at ceteri Liberi sacerdotes, quantum videmus, fuerunt maioris dignitatis.

Titulos Africanos VIII 73 = Suppl. 11151 (statua Liberi patris). 1178. 1268 (templum Liberi patris). 5293. 8391. 8457 cum nihil praebeant certius ad cultum Liberi pertinens memorare satis est.

In Africa Byzacena repertus est Eph. ep. VII 75 *(m(atri) d(eum) m(agnae) | I(daeae) Aug(ustae) sac(rum) | signum | Liberi | publicum | ex decre|to ord|i| | nis . . .).* Huic Libero quin mystica quaedam vis adhaereat propter Magnam matrem, cui signum eius dedicatur, non dubito. Et Liberum mystice esse cultum in Africa plures tituli qui sequuntur testabuntur.

In Provincia proconsulari CIL VIII 1337 *(pro salute imp. . . . . | Q. Martius Felix N. . . . . | dei Liberi patris . . . .);* Suppl. 14546 *(|L| ibero patri Aug(usto) sacrum pro salute et victo|ria| | imp. Nervae Traiani Caesaris Aug(usti) Germ(anici) |D| a|c(ici)| | . . . . .);* 15520 *(pro salute imp. Caesaris Traiani Hadrian|i . . . . . .| patronus pagi et civitatis M. Gabinius Quir(inus) Bass|us . . . . patronus pagi| | et civitatis templa Concordiae |Fr|ugiferi* (i. e. Plutonis) *Liberi patr|is* — quarti dei — *| | solo suo fundamentis sua pecunia struxerunt . . . . . .)* dedicati sunt pro salute imperatorum. Liberi numen quale fuerit quamquam certius non descriptum est, tamen dedicantibus naturalem eius potestatem non solam esse obversatam a limine nobis erit persuasum. Nam quid vult numen rusticum pro salute imperatorum imploratum nisi ab agricolis? Iam vero eos frustra quaeres. 15520, quo titulo solo quo sit ordine dedicans perspici potest, patronus pagi et civitatis, vir nobilissimus vel senatorii ordinis vel equestris, templum Liberi exstruxit. Accedit Pluto una appellatus, unde aliquid mystici etiam ad Liberum patrem

redundat. Sed ne longus sim, hic Liber est omnino deus Graecus (v. p. 9).

CIL VIII 15578 memoratur *templum Liberi patris et Veneris.* Haec dea est Ἀφροδίτη vel Venus hortorum ab Italiae gentibus culta. Noli vero putare duo numina respondere pari antiquissimo Libero Liberaeque auctore usus Augustino, qui de civ. dei VI 9. VII 2. 3 Liberam et Venerem existimatam esse prodidit, scilicet quia utraque dea fuit agrestis. Nam Venerem et Liberam confuderunt viri docti, sed populi utramque deam non colebant ita, ut idem numen esse crederent.

Liberam solam exhibet titulus VIII 860 (*[De]ae Liberae [Aug(ustae) sacr(um)] | [P.] Titius Celsi f. . . . . | et Q. Severius . . . . f. . . . . | Verus aedil[e]s . . . sua liberalita|te fecerunt [et ob dedicationem] | ludos scaenicos [biduo edi]derunt gymn[asium populo] | epulum decurion[ibus dederunt] | l(oco) d(ato) d(ecreto) d(ecurionum)*). Cum ludi et alia sollemnia ob dedicationem nescio cuius rei dicentur, Liberae cultum non obscurum fuisse negari non potest. Atqui Liberam apud veteres Romanos non deam sui iuris, sed artissima cum Libero necessitudine coniunctam fuisse nomen ipsum docet, quamobrem cultus Liberae solius a scriptoribus nusquam — nisi forte Liberam cum Cerere Venere Ariadne aequatam praedicare vis — titulis nullis fere comprobatur. Praeter VIII 860 reperti sunt III 1095. Suppl. 10434. VI 469. Solo in titulo III 1095 qua sit natura dea diiudicari potest. Nam *triformis* attributum Liberam esse Hecaten demonstrat, et Hecaten conferebant Graeci cum Diana vel Proserpina, quibuscum Liber coniungi solebat. Ergo Liberam solam propter auctoritatem Graecorum cultam esse et figuram induisse numinum eorum, quibuscum Liber consociari solebat, certum est.

Quodsi VIII 9016 in Mauretania *diis sanctis Libero et Liberae conservatoribus domo[rum et rer]um suarum renovatis numinibus eorum | [adiecto tri]bunali cum omnibus ornamentis*

suis / [lapide qu]adrato sumtibus suis complures viri ac feminae dedicant, tantum abest, ut cogitemus de pari Capitolino, ut eadem esse numina quae in ceteris inscriptionibus Africanis, Graeca nimirum, pro certo habeamus. Utrumque autem numen fuisse agreste interpretor ex cognomine *conservator rerum et domorum.* Atque inspicias quaeso titulos VI 467 et V 5543 p. 5 et 12 allatos, ubi Liber item *conservator* appellatur.

In VIII 2632 (Numidiae: *Alfeno Fortunato / visus dicere somno / Leiber pater bimatus / Iovis e fulmine natus / basis hanc novationem / Genio domus sacrandam. / Votum deo dicavi / praef(ectus) ipse castris. / Ades ergo cum Panisco / memor hoc munere nostro / natis sospite matre; facias videre Romam dominis munere honore / mactum coronatumque)* Liber dicitur imperavisse, ut Genio loci basis exstrueretur. Atque Liberum patrem confusum esse cum Dionyso Iovis et Semeles filio ut sumamus monet nos et *bimatus*, hoc est *bimater*, et *Paniscus* simul nuncupatus.

VIII 16910 posuit *Victoria[nus Iunia]nus eq(uo) / p(ublico) exor(natus)] [sacer(dos)] dei L[iberi].* Sacerdotes Liberi praeterea nobis occurrunt in Numidiae titulis 4681 *(d(is) M(anibus) s(acrum). P. Clodius Lo[q]uella aed(ilis) II vir, q(aestor), fl(amen) p(er)p(etuus), sac(erdos) Liberi patris)*, 4682 *(C. Iulius L. f. Q. / Laetus sacerdos Liberi patris)*, 4883 *(Fabia / Laeta / sacerdos / Liberi)*, 4887 *(Q. Iulius Q. f. / Pap. Saturni/nus sacerd(os) / Liberi [p]atris)*, Eph. ep. V 931 *(Herculi Aug(usto) sacrum C. Iulius / Saturninus sacerdos Liberi / patris).* Quo hic Liber sensu cultus sit comperimus ex epistula Maximi grammatici Madaurensis ad Augustinum (ep. 16 vol. 2 p. 19) et responso Augustini (ep. 17 p. 21).[1]) Hic enim quaerit, cur omiserit Maximus in numero deorum publice cultorum Madauris *Liberum illum, quem paucorum sacratorum oculis committendum putatis* et publicam sacrorum

---

[1]) Hos locos affert G. Wilmanns in adnotatione ad VIII 4682.

paganorum celebrationem ideo eum arguit commemoravisse, ut *nobis decuriones et primates civitatis per plateas vestrae urbis bacchantes ac furentes ante oculos poneret,* cui rei congruit ordo sacerdotum Liberi. Est 4681 aedilis, duovir, quaestor, flamen perpetuus, hoc est summus magistratus municipalis, 16910 eques. Ad eandem dei naturam ducit etiam mulier sacerdos n. 4883. [1])

In Mauretania VIII 9409 *(Sex. Valerio / L. filio Quiri(no) / munici(pi) / equo publico exornato / flamini provinciae / cultores Doripatri patrono / ob merita / eius caupones)* pertinet ad vini deum; nam pro *Doripatri* propter *caupones* recte conicitur *Liberi patris.* 9325 *deo Libero* sacrum datur *curante curatore disp(unctore) rei p(ublicae) Caes(ariensis)* i. e. magistratu summa dignitate, qui rationes civitatis examinabat [2]). 10867 *[p]a[tri] Libero A[ug(usto)] sacr(um) / Q. Quadratius [Q. f.] Quir(inus) / Quintulus aedilic(iae) potest[a]tis statuam cum aed[ic]ula et / columnis quam in praefectura) / sua pro III viris agens sponte pol/[l]icitus est* dedicavit.

Titulos Liberi Africanos comparantes cum Italiae titulis tenemus in utraque terra Liberum esse cultum veste indutum Graeca, sed ita, ut cui in Italia plurimos titulos dedicatos videmus deus agrestis vix inveniatur in Africa, contra hic mystica Διονύσου vis etiam in Libero promineat. Itaque potius Liberum Africanum fuisse Διόνυσον latino nomine appellatum putaverim quam deum Roma translatum illum, quem Romani ut inde ab a. 493 cum numine Graeco aequaverunt ita sua religione coluerunt. Et magis pertinent ad Διόνυσον cum summi magistratus Libero patri sacrum dedicantes (VIII 9325. Suppl. 15520) tum sacerdotes Liberi pluriens nominati honoris causa.

---

[1]) Vide p. 8 adnotationem 4.

[2]) Cf. J. Marquardt, Röm. Staatsverw. I [2] p. 164. CIL VIII p. 800. III p. 1030 ad n. 2026.

In inscriptionibus Hispaniae paulum morari oportet. II 620. 799. 1109. 2611. 3264 cum nihil nisi nomen dei praebeant mittere licet. 1108 *Libero patri sacr(um)* libertus *ob honorem editis ludis scaenicis* dedicavit itemque 2105 *Libero patri Aug(usto) sacrum in honore pontificatus II vir bis flamen sacr(orum) pub(licorum) municip(ii) Alb(ensis) Ur(gavonis) pontifex domus Augustae.* Utrumque titulum deo agresti attribuere nihil nos prohibet, et similiter res sese habet in titulo 2634 *(I(ovi) o(ptimo) m(aximo) / Soli invicto Libero / patri Genio praetor / Q. Manil(ius) Capitolinus / iurid(icus) per Flaminiam / et Umbriam et Picenum / leg(atus) Aug(usti) per Asturiam et / Gallaeciam dux leg(ionis) VII [g(eminae)] p(iae) [f(idelis)] praef(ectus) aer(arii) Sat(urni) pr[o] salute / sua et suorum).* Nam etsi Solem invictum et Liberum ut numina mystica coniungere in promptu est, tamen perbene cogitari potest Liberi, dei agrestis, cultum in illa regione tam usitatum fuisse (cui rei tituli 1108 et 2105 argumento sunt), ut etiam vir nobilissimus eum dignum esse putaret, cuius auxilium pro salute sua et suorum imploraretur.

Galliae Narbonensis inscriptiones XII 250. 502. 593. 1075. 3078 praebent solum dei nomen. Mysticum Liberi numen nobis occurrit in titulo 1567. Quo in lapide mentio fit taurobolii pro salute imperatoris Philippi a. 245 oblati *Liberi patris et ceteris adsistentibus sacerdotibus.* 3132 Nemausi repertus *(deo Silvano et Libero / patri et Nemauso / [xysta]rchus synodi* [1] *[sacrae])* pertinet ad deum agrestem (v. p. 10). Nemausum deum additum esse ut patronum oppidi luce clarius est (v. XII 3070. 3072. 3077).

Priusquam ad inscriptiones Dalmatiae, Pannoniae, Daciae aggrediar, affero paucos diversarum provinciarum titulos. Inter Helveticas inscriptiones a Th. Mommseno collectas extat titulus 329 *(Libero patri / Cocliensi* [2]*) / P. Severius /*

---

[1]) σύνοδος crebrius vocatur in inscriptionibus Graecis Nemausi repertis cf. CIG III 6785—88.

[2]) Cognomen est ethnicum.

Lucanus v. s. l. m.) In Brambachi C. I. Rhen. invenio 1462 *(d. d. / [Lib]ero / pat[ri] / undi / cula / moni / dei;* sed si quis de supplemento dubitet, repugnare non ausim). Praeterea in Germania superiore repertus est lapis sine inscriptione dedicatus vini deo; nam fert imaginem Liberi vel Bacchae, in latere averso racemos.[1]) In Norico effossus est III 5122 *(Libero / patri / sac(rum) / Abascantus / Antoni Rufi s(ervus) / . . . . .).*

Moesia et Macedonia quod paucos Liberi titulos praebent admirationem tibi non movebit reputanti provincias fuisse Graecas. Cultus autem dei idem fuit atque quem in tribus illis provinciis ad Danubium sitis perspectum habebimus. In Moesia inferiore reperti sunt III 750 *(Libero pa/tri C. Iul(ius) Ca/rianus p(rimi) p(ilaris) / I leg(ionis) Ital(icae) ex / eq(uite) Romano)* et 7498 *(I(ovi) o(ptimo) m(aximo) et Libero / patri),* qui titulus certe propter uvam insculptam pertinet ad vini deum, quocum Iovem societate coniunctum vidimus in titulis IX 4513. X 5543. XI 1355. In Moesia superiore 1680 *(I(ovi) o(ptimo) m(aximo) Ful(guratori) / et Iun(oni) reg(inae) / et deo Li[b(ero)] / et Hila.re / G. Iul. Servan/dus vet(eranus) et / Fl. Numisius,* cuius *Hila.re* cum Th. Mommseno *Hilare* legi volo, ut *Hilara* accipiatur de dea *Libera*[2])*)* et 6317 *(Lib(ero) p(atri) / T. Aurel(ius) / Proculus / l(ubens) / p(osuit)).*

---

[1]) Inspicias Korrespondenzblatt d. Westdeutschen Zeitschr. f. Gesch. und Kunst XII p. 103.

[2]) Steuding in Roscheri lex. myth. I p. 2659 defendit etiam lectionem *Hila(ritati) re(ginae),* quae dea invenitur in nummis imperatorum Hadriani, Commodi, Tetrici; fert cornu copiae et palmam; circum liberi. Hilaritatem eadem fuisse vi praeditam atque Liberam facile concedes. Sed et ei et Iunoni cognomen *reginam* attributum esse parum verisimile est neque nomen eius usquam in inscriptionibus legitur. At *Hilaram* adiectivum eum, qui titulum dedicavit, *Libera* substantivo omisso substantive nescio quare posuisse perbene cogitari potest. Itaque par *Liber Liberaque* quadravit ad *Iovem Iunonem.*

Cum Silvano rursus Liberum videmus coniunctum in III 633. Philippis enim, in urbe Macedoniae, collegium funeraticium [1]) templum fecit Silvani, ad quod opus exstruendum praeter alia data sunt *sigilla marmorea tria Liberi, Herculis, Mercurii.* Ad inferos spectare videtur *Liber pater Tasibastenus,* quem Thraces venerabantur. Titulis enim III 703 et 704 item Philippis repertis *thiasis [L]ib(eri) pat(ris) Tasibast(eni)* donantur pecuniae, *ex quor(um) redit(u) annu(o) rosal(ibus)* i. e. parentalibus *ad moniment(um) eor(um) vescentur.* [2])

Venio ad inscriptiones Dalmatiae, Pannoniae, Daciae. Missis qui nihil praebeant ad cultum Liberi inlustrandum gravius titulis III 896. 930. 1065. 1261. 1411. 1951. 2815. 3094. 3265. 4126. Suppl. 7682. 7826. 8365. 8430. 8518. 9812. 10326. 10904. 10910. Arch. epigr. Mitteil. aus Oesterreich VIII p. 197 incipio a titulis pari Libero Liberaeque dedicatis, quos cum ceterae provinciae nullos fere [3]) attulerint in provinciis ad Danubium sitis plurimos reperiri vix est quin miremur. Ad hoc deorum par pertinent Dalmatiae tituli III 2903. 6362, Pannoniae superioris 4297, Pannoniae inferioris 2334. 3267. 3298. 3466. Suppl. 10343. 10346. 10359. 10433, Daciae 792. 1093. 1094. 1303. Suppl. 7684. 7916. Arch. epigr. Mitteil. aus Oesterreich XIII p. 195. [4]) Moneo etiam in his regionibus discrimen esse statuendum. Nam multo plures inscriptiones offerunt Pannonia inferior et Dacia provinciae, quae altera alteri adiacent, quam Dalmatia et Pannonia superior. Itaque dubitari non posse censeo, quin cultus Liberi Liberaeque illinc in alias regiones finitimas migraverit. Atque vicinitas monet, ut Dalmatiam conferamus cum Gallia cisalpina, quae et ipsa duos tresve titulos huic

---

[1]) Cf. adnotationem Th. Mommseni ad hunc titulum.

[2]) Vide quae dicit G. Voigt in Roscheri lex. myth. I p. 1032.

[3]) VIII 9016 (v. p. 14) et IX 4513 (v. p. 11 sq.).

[4]) *Libero patri et Liberae matri,* quod Liberae cognomen nusquam alibi extat.

pari dicatos praebet. In Gallia enim cisalpina testantur cultum Liberi V 326 *(Genio Lib(eri) Aug(usti)* dedicatus). 2110. 3260. 5543 (v. p. 12). 6956. C I L Suppl. Ital. fasc. I Addit. ad vol. V n. 1095 *(L(ibero) A(ugusto)* aedes vetustate conlapsa restituitur Polae). 1113 Accedunt tituli Libero Liberaeque dicati V 793. 8235.[1]) XI 698 Bononiae repertus.

Iam vero paris hic cultus plurimus quique a ceteris observationibus valde abhorreat quomodo ortus esset ut explicaret, G. Wissowa l. l. p. 2025 coniecit Liberum Liberamque deos esse indigenas Romano nomine appellatos. Et ego quidem virum doctissimum sequor, praesertim cum aliae causae idem concludere nos cogant.

Circumspicientibus enim cuius ordinis homines Libero sacra dederint, occurrunt magistratus municipales, pauci Romani nobilissimi, seviri Augustales, liberti, servi. At milites Libero dedicantes inveniuntur nulli nisi in provinciis ad Danubium sitis; nam unum titulum Africanum VIII 2632 a praefecto castris iussu Liberi Genio loci consecratum mittere licet. Tituli a militibus dedicati sunt in Dalmatia: III 1789 = 6363 = 8485 (centurio restituit templum Liberi). 1790 = 6362 = 8484 (idem templum restituit cohors); in Pannonia superiore: 3957 (beneficiarius consularis). 4297 (pro salute veterani); in Pannonia inferiore: 3329 (beneficiarius consularis). 3464 (primipilus). 3466 (pro salute frumentarii). Suppl. 10432 (decurio alae). Arch. epigr. Mitteil. aus Oesterreich XIV p. 52 (veteranus); in Dacia: 1091 (veteranus ex beneficiario consularis). 1092 (primipilus). 1093 (veteranus). 1094 (optio praetorii). 1355 (decurio cohortis); in Moesia: 750 (primipilaris ex equite Romano). 1680 (veteranus).[2])

---

[1]) Titulus est valde mutilatus. Fortasse legendum est: *in [honorem domus divinae] | Libero [et Liberae] | et Pa[rcis . . . .] aria . . . . | pisci-n[am . . . . et] sign[a tria . . . . dedit.]*

[2]) Ergo omnium, qui Libero sacrum dant, nemo primipilaris ordinem excedit.

Quodsi quaerimus, qua religione Liberum milites permulti coluerint, non facile est rem ad liquidum perducere. Etenim quae ratio ac necessitudo cogitari potest inter milites et vini deum, cuius vestigium insuper in lapidibus ne minimum quidem extat? At mysticam Liberi naturam profers, qualia numina colere militibus magnae curae fuisse satis constat. Qua in sententia perseverare nos prohibet, quod inscriptiones militum Libero dicatae nisi in provinciis ad Danubium sitis nullae inveniuntur; etenim Germaniae unam valde incertam (v. p. 18) afferunt. Si autem mysticum Liberi numen milites in universum coluissent, etiam reliquarum provinciarum legiones titulos praeberent. Quae cum ita sunt, nihil reliquum esse video quam ut viam a G. Wissowa patefactam ingressi inscriptiones militares Danubinas ad cultum Liberi eum, qui proprius est illarum provinciarum, pertinere sumamus. Et moneo ut tituli Libero Liberaeque dedicati plures inventi sunt in Pannonia inferiore et Dacia quam in Dalmatia et Pannonia superiore, ita militum quoque inscriptiones plures effossas esse in illis provinciis.

Denique nunc etiam cognoscitur, cur in provinciis ad Danubium sitis incriptiones Liberi repertae sint tot, quot ne in Italia quidem.

Cuius Liberi qualis fuit cultus? Liberum ut vini deum exhibent Suppl. 10275, cuius tituli valde mutili interpretatio quamquam dubia est, tamen *vineas* et *vini cupas,* quas viri docti interpretati sunt, ad vini deum spectare in propatulo est, et CIL III 3295 (*Libero patri | Sext.;* colonus vinum exutre in urnam patulam effundit coniuge a tergo uvas in corbe capiti imposita ferente. Liberi effigies parte superiore expressa cum Cerere deest); hae duae inscriptiones repertae sunt in Pannonia inferiore. In Pannonia superiore Suppl. 10904 *(deo sancto Libero;* in latere dextro uva); in Dalmatia: 3046 *(Libero pat(ri) | Aug(usto) sac(rum) | L. Volumnius Pudens | v. s. l. m.;* in altero latere extant pedum et thyrsus, in altero

vas cum racemis); 3093 *(Veselia / Felicetas / Libero m(agno) / patri / Torclesi / ex voto*, ad quem titulum Mommsen: *Torclensis cognomen licet ethnici formam habeat, tamen declinatum videtur nescio quomodo a torculari* (i. e. prelo)); 9934 *(Libero patri / sac(rum) / Iulia Firmi / lia v. s. l. m.;* in latere sinistro extat haedus sub vite uvam comedens, in latere dextro panthera, pone eam thyrsus vittatus). Itemque cognoscimus deum agrestem in titulis Pannoniae superioris 3923 *(Silvan(o) / Aug(usto) sac(rum) / et L(ibero) p(atri) M. Val(erius) / Pulienus v. s. l. m.)* et 3957 *(Libero patri / et [Silvano] dom(estico) Aurel(ius) Quint(us) b(ene)f(iciarius) co(n)s(ularis) / v. s. l. m.).*

Ad mysticam Liberi naturam spectant Dalmatiae titulus 2903 *(Isidi Serapi Libe[r(o)] / Liberae voto / suscepto pro salute / Scapulae fili sui / Quinctius Paris / s. l. m.),* quia deus noster coniunctus est cum Iside et Serapi, et Daciae 1303 *(Libero [p]atri et Li[b]ere Herclia[n]is et cervabu[s] Romanus Aug(usti) n(ostri) et Aur(elia) Creste vo[t(um)] posuerunt.).* Ad hunc titulum adnotat Th. Mommsen: *Hercliani et cervae fuerunt fortasse collegia duo virorum feminarumque cum illorum numinum cultu nescio quo modo coniuncta*, et G. Wissowa l. l. p. 2028 ad verba Theodori Mommsen respiciens collegia fuisse numinum mysticorum censet, quocum bene consentiunt feminae religioni potissimum mysticae addictae.

Memoratu praeterea digni sunt Daciae titulus 7681 *(I(ovi) o(ptimo) m(aximo) [et] / [H]ercul(i) invicto et Liber(o) pa(tri) / Aur[(elius)] Gai[u]s et Aur(elius) Ingen[u]u[s] sacer / dotes ex vot(o) p(osuerunt))* et Pannoniae superioris 4363 *(I(ovi) o(ptimo) m(aximo) / Iunoni reginae / Minervae Neptuno / Libero pat(ri) Dianae / ceterisq(ue) dibus L. / Antonius Sabinianus / Cornic. l. leg. leg. ad(iutricis) / p(iae) [f(idelis)] Se[v(erae)] templum vetust(ate) / conlapsum [fa]c[i]undum / cur(avit) cum Aureliano / con(sulari)).* Hoc titulo tria paria deorum appellantur: Iuppiter Iuno, Minerva

Neptunus, qui compositi sunt more Graecorum (cf. Preller myth. Rom. II p. 123 adn. 3), Liber Diana. Haec Diana num fuerit Hecate[1]) definire non ausim.

Haec sunt eadem, quae de Liberi in aliis provinciis cultu observavimus. Praeterea autem novam quandam dei vim esse statuendam censeo, dei nimirum indigenae. Valde enim mirum est, quod voluminis III tot inscriptiones unam praebent aedem, unum sacerdotem. Templum fuit Naronae, in urbe Dalmatiae, quod tangunt tituli I 1469 = III 1784 *(P. Annaeus Q(uinti) l(ibertus) | Epicadus | aedem Leiberi | patrus faciund(am) | coir(avit) lub(ens) mer(ito))*; 1786 *(M. Lusi Se|veri c(larissimi) v(iri) | Modestus | Lib(ero) templum | ex voto restituit)*; 1789 = 6363 = 8485 *(Q. Pisenius Se|verinus* (centurio) *l[eg(ionis)] XI Cl(audiae) | templum Lib(eri) pat(ris) | vetustate corrup|tum porticib(us) adiect(is) restituit)*; 1790 = 6362 = 8484 *(templum Liberi | patris et Liberae vet[us]|tate delabsum restituit | coh(ors) I B[e]lg(ica) adiectis por|ticibus curam agente | Fl. Victore | leg(ionis) I ad(iutricis) p(iae) f(idelis) Severo et Pompeiano II cos.* (a. p. C. 173)). Cum eodem fano cohaerent quodammodo I 1470 = III 1785 *(L. [L]aetili | Liber(o) p(atri) | eisdem .....)*; 1787 *(L(ibero) A(ugusto) s(acrum) | Lusius | Felicio | L. Lusi Se|verini | libert(us) posuit)*; 1788 (fortasse *L(ibero) A(gusto) s(acrum))*. Inde comperimus templum Liberi Naronae fuisse iam aetate reipublicae liberae et ad minimum usque ad initium saeculi p. C. III mansisse. Neque restitutum esset tam saepe, nisi cultorum frequentia floruisset. De numine autem fani idem dicendum est quod de numine Capitolino. Nam Liber Liberaque communem sedem tenebant ita, ut haec esset σύνναος quae vocatur, ille templi possessor, cuius nomine solo aedes significari solebat. Quo cum templo vel certe cum numine ibi culto coniungendum esse sacerdotium Liberi memoratum in titulo III 2931 *(M. Trebio | Proculo | equom publ(icum) | hab(enti) sacer(doti) Lib(eri) | II vir(o)*

[1]) Vide quae disserui p. 9 seq.

aedil(i) Arba / Trebia M. fil(ia) / Procula / patri t(estamento) p(oni) i(ussit)) item in Dalmatia reperto mihi videtur esse verisimile. [1])

Quodsi in Dalmatia regionibusque vicinis Liber frequentissime colebatur, ita ut templa atque sacerdotes haberet, satis profecto miramur, quod alibi aedes Liberi vel Liberi Liberaeque nulla est reperta, id quod casu evenisse propter multitudinem titulorum prorsus nego. Potius censeo in Pannonia inferiore et Dacia (v. p. 19 sqq.) cultum praevaluisse deorum indigenarum, quibus templum ac sacerdotes non erant.

Restat, ut de libertinis Libero dedicantibus pauca disseram. Nam iis necessitudinem quandam fuisse cum deo ut statuant sunt quos nomen ipsum adducat. Quae quam falsa sit coniectura demonstrare mihi in animo est.

Titulos dedicant libertini hos: II 1108. III 1303. 1548. 1784 = I 1469. 1786. 1787. 3466. 4297. V 793. VI 5796. IX 2197. 2251. 3603. X 1584. 1586. XI 358 (seviri Augustales); et nominibus argumento usus huc afferas III 2930 *(Quinetius Paris)*. 3094 *(Aristio)*. 8430 *(Epaphroditus)*. X 5045 *(Secundio* cf. X 2511. 4279). XIV 27 *(Chryserus)*. Praeterea dedicant servi III 704. 5122. IX 3571. 4513.

Horum titulorum maxima pars in provinciis ad Danubium sitis reperta est neque, quoniam de cultu Liberi ibi usitato satis lucide disputasse nobis videmur, ullam praebet causam offendendi. Reliqui attribuuntur Hispaniae et Italiae, sed ita, ut illa provincia 'unum titulum prodat. Inscriptionum autem in Italia repertarum pars celebrat numen mysticum (VI 8796. X 1584. 5045), pars vini deum (IX 3571. 4513). Itaque nulla testimonia restant, e quibus rationem propriam inter Liberum et libertinos ei sacra dantes intercessisse concludendum sit. Nam qui pauci reliqui sunt iis easdem

---

[1]) Et aedem *Liberi Augusti* Polae (v. p. 20) consecratam fuisse eidem numini cui aedem Naronae sitam mihi est persuasum.

dei potestates atque ceteris titulis a nobis recensis quominus subiciamus, brevitas inscriptionum nos non impedit. Quae cum ita sint praefacte nego necessitudinis illius, quam esse inter nomen dei Liberi et libertatem vel antiqui affirmant, adminiculum fuisse ullum in cultu Liberi. L. Preller myth. Rom. II [3] p. 51 scribit: *Was speziell den Liber pater betrifft, so wurde er in den Städten häufig als Symbol der bürgerlichen Freiheit verehrt, daher man sein Bild wie das seines Gesellen, des bekannten Silen Marsyas aus Kleinasien, nicht selten auf den Märkten fand, u. a. in Rom*, auctore usus Servio, qui adnotat ad Verg. Aen III 20: *quod sacrificatur Libero haec causa est, ut signum sit liberae civitatis; sed in liberis civitatibus simulacrum Marsyae erat, qui in tutela Liberi patris est.* Idem ad IV 57: *Marsyas, eius* (Liberi) *minister in foro positus.* Alii loci a viro doctissimo allati nihil aliud praebent. Verum inde nil sequitur nisi ut Servius de origine nominis Liberi idem senserit quod ceteri scriptores veteres, quam sententiam ne temere amplectamur sescenti errores aperti etymologorum antiquorum vehementer nos monent. Et statuam Liberi ut signum libertatis in foro positam fuisse nec supra apud Servium neque alicubi memoratum video. Marsyam solum ita fuisse positum scriptores testantur, quem cum Liberi cultu Romano nullo vinculo cohaerere post egregiam Henrici Jordani dissertationem (Marsyas auf dem Forum in Rom, Berolini 1883) demonstrare superfluum est. Liberum ut patronum Libertatis frustra quaeras. Libertini venerabantur Feroniam. [1]) Nullus extat titulus Libero *ob libertatem* dedicatus, qui non desideraretur, si Romani deum hoc sensu coluissent, praesertim cum aliis numinibus *ob libertatem* sacra darentur. Deinde nummis Libertatis caput saepissime, Liberi nusquam ut signum libertatis insculptum est. [2])

[1]) Cf. Serv. ad Verg. Aen. VIII 564 et Liv. XXII 1, 18.

[2]) Cohen méd. cons. p. 270 nummos n. 5 a patre Catonis Uticensis et n. 8 a Catone ipso percussos imaginem Liberi hederigeri ferre censet; in

Idem quod tituli docent monumenta signaque Liberi [1]) (cf. G. Wissowa l. l. 2029: *die römische Sacralkunst hat nicht durch Modifizirung der griechischen Dionysosdarstellung einen eignen Libertypus geschaffen, sondern den ersteren einfach übernommen),* in quibus attributa dei ut vas, racemi, uvae, hircus, thyrsus, panthera, alia promiscue adhibentur, ita ut thyrsum et pantheram, quae signa primo ad mysticum numen solum spectabant, et monumentis ad vini deum pertinentibus adscriptas inveniamus ut in III 3046. 9934. VI 468. IX 3571.

---

altera parte est Victoria, quae et ipsa in nummis capite Libertatis signatis cernitur; at priorem imaginem Liberum repraesentare recte negavit Babelonius (Descr. des monn. de la républ. rom. I p. 371 n. 7 et p. 376 n. 11) Libertatem potius agnoscens.

[1]) Hic est conspectus nummorum Liberi capite signatorum temporibus reipublicae liberae. Nomen dei nusquam in nummis inscriptum est, sed Liber cognoscitur ex attributis. Nummus antiquissimus capite Liberi signatus a. C. Cassio Longino monetario anni a. C. 109 (Babelon, l. l. I 326). Praeterea gens Cassia percussit a. 79 Babel. I 329 n. 6 = Cohen méd. cons. 82 n. 7. Cuius gentis nummis Liberum esse insculptum, quod Spurius Cassius 493 a. C. templum Cereris Liberi Liberaeque voverit Babelon adnotat. Babel. II 491 n. 2 percussus est a. Q. Titio 90 a. C. Babel. II 545 n. 16 = Cohen 331 n. 17; Bab. II 545 n. 17 = Coh. p. 331 n. 18 cussi a. C. Vibio Pansa consule a. 43. Ad Cerealia pertinent item Babel. II 566 n. 3 = Cohen 337 n. 3 a M. Volteio M. f. cussus a. 88. Babel. II 548 n. 24 = Cohen 331 n. 24 gentis Vibiae. Cuius gentis nummis imagines Liberi, Sileni, Panis eorumque attributa impressa esse propter cognomen gentis *Pansa* Babelon et Cohen adnotant. Babelon I 179 n. 61 = Cohen 30 n. 44 ante a. 38 cussus capita Antonii et Octavii portans fert formam cistophororum qui vocantur. Frequentissime Liberum exhibent nummi P. Petronii Turpiliani, monetarii a. 20. Babel. II 294 n. 1 = Cohen 244 n. 7; Bab. 295 n. 4 = Coh. 245 n. 11; Bab. 297 n. 8 = Coh. 245 n. 10; Bab. 297 n. 10 = Coh. 244 n. 5; Bab. 299 n. 13 = Coh. 244 n. 2; Bab. 299 n. 14 = Coh. 244 n. 3. Cuius gentis anus a Tarquinio Superbo libros Sibyllinos, quibus suadentibus cultus Cereris Liberi Liberaeque Romam invectus est, exscribere iussus est. Oscorum nummus aureus a. 88 vel 87 a sociis cussus signa mystica fert (cf. Friedlaender, Osk. Münzen p. 73. 80). Imperatorum Septimii Severi, Cara-

Caput II.

De Liberi dei origine religionisque mutationibus.

Nomen Liberi dei scriptores antiqui derivant a liberando et libertate. Ita secundum Paulum p. 115 *Liber repertor vini ideo sic appellatur, quod vino nimio usi omnia libere loquantur.* Atque Varro apud Augustinum de civ. dei VI 9 Liberum nominatum vult, *quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur* et Seneca de tranq. an. XV 15, *quia liberat servitio curarum animos.* Atque etiam vetustissimi Romanorum scriptores Liberum cum adiectivo *liber* composuerunt; nam Naevius (Fest. 116) canit: *libera lingua loquemur ludis Liberalibus* et Plautus Cist. I, 2, 8: *Quiaque adeo me complevi flore Liberi, Magis libera uti lingua collibitum est mihi.*

Quam sententiam viri docti nostrae aetatis plurimi (Corssen Ausspr. I [2] 379. V. Hehn Kulturpflanzen und Haustiere [3] p. 70. Preller myth. Rom. II p. 47, alii) amplexi sunt, nonnulli (Curtius Etymol. [5] 365, 367. Danielsson ap. Pauli Altit. Stud. IV 1885 p. 156) Liberum rettulerunt ad *libare;* nam utrobique extat radix *lib,* quae in nomine dei requiritur. Quare H. Jordan ap. Prellerum myth. Rom. II 48 adn. rem in medio reliquit utra derivatio praeferenda sit pendere e natura numinis arbitratus.

Iam vero cum in cultu Liberi nullum vinculum inter nomen eius et libertatem intercedere invenerimus (v. p. 24 sq.), illam coniecturam longe abicio. Potius respectis omnibus

---

callae, Claudii II, Gallieni nummi exhibent etiam Liberum patrem, sed nusquam ut patronum libertatis; at Libertatis imago saepissime invenitur. Ubique est deus Graecus eiusque imago in omnibus nummis eadem est: caput adulescentis imberbis hedera vel pampino ornatum; attributa sunt notissima. — Una cum inscriptionibus ad nostram aetatem servata sunt signa Liberi in titulis III 4297. 7916. 7917. VI 8796. XI 3366. XII 2183, attributa dei in titulis III 930. 3046. 3295. Suppl. 7498. 7681. 7683. 8673. 8674. 9752. 9934. 10904. VI 463. 468. IX 3571.

iis quae de Liberi natura indagari possunt radicem *lib* notionem creandi ac largiendi habuisse necesse esse contendo.

V. Hehn l. l. Liberum deum fuisse indigetem negans e Graecia Romam esse accersitum affirmat. Dionysum enim illum, qui *Λύσιος*, *Ἐλευθέριος*, *Λύαιος*, similiter cognominabatur, latino nomine accepto primitus Iovi attributum fuisse, ita ut habeas Iovem Liberum, deinde deum factum esse sui iuris. Quam coniecturam vir singularis facile fecit, utpote qui vocabulum *vinum* ab *οἶνος* derivans non modo vitium culturam, sed etiam deum vini Graecis auctoribus in Italiam transisse pro certo habuerit. [1]) Attamen non dubito, quin V. Hehn, si hemerologia et egregium Theodori Mommsen commentarium inspexisset, sententiam suam de Libero deo adventicio quam longissime abiecturus fuerit. Nam cum hemerologia ferias LIBER*(alia)* sive LIB*(eralia)* maioribus litteris expressas contineant [2]), inde comperimus iam in Numae qui vocantur fastis recedentibus ad eam religionis Romanae aetatem, quae adhuc immunis erat a superstitionis Graecae infectione, Libero deo proprias ferias fuisse adscriptas. Accedit quod Libero exstructum fuit sacellum in Capitolio. In fastis enim Farnesianis sacrum adnotatur *Libero in Cap(itolio)* et in hoc ipso fano *signu(m) Lib(eri) patris*, quod fuit in Capitolio (CIL X 1402), quin positum fuerit vix erit qui in dubitationem vocare velit. Cum vero dii peregrini ante secundum a. C. saeculum domicilia non acceperint intra pomerium, nedum in Capitolio, Liberi autem aedicula hoc tempore certe antiquior fuerit, [3]) etiam inde de patria dei origine dubitare non possumus.

---

[1]) De origine vini adeundus est etiam W. Helbig, die Italiker in der Poebene p. 16 et 109.

[2]) Vide p. 1. De altera adnotatione ad hunc diem AGON*(ium)* sive AG*(onium)* cf. Wissowa, de feriis anni Rom. vetustissimi observ. sel. p. XI sq.

[3]) Aust, de aedibus sacris populi Romani p. 50.

Quae cum ita sint valde est mirum, quod nuperrime O. Gilbert, Gesch. und Topogr. der Stadt Rom II p. 209 adn. 1. p. 210 adn. p. 244 adn. 2 sententiae Hehnii rursus assensus est. Sed quas novas causas vir doctus protulit iis res ita non extra dubitationem posita est,[1]) ut ipse latinum deum Liberum olim extitisse facere non possit quin concedat.

Verum etiam firmissimum quo V. Hehn usus est argumentum nihil habet auctoritatis. Etenim licet vitium cultura posteriore demum tempore e Graecia in Italiam invecta sit, ad Liberum deum hoc non spectat. Nam Liber initio deus vini non fuit. Iam priorem dei naturam ut cognoscamus, quae nobis de Liberalibus, feriis Liberi vetustissimis, tradita sunt accuratius consideremus.

Supra p. 2 notavi nomen Liberalium a scriptoribus trifariam esse adhibitum: primum ad diem XVI Kal. April.

---

[1]) O. enim Gilbert ut pudenda virilia ab incolis Lanuvinis per Liberi dies festos colerentur vetustissimum fuisse morem affirmans contendit deum esse *Διόνυσον*, cum dicit phallum colere fuisse Graecorum. Sed primum de vetustate illius Liberi Lanuvini cultus non omnes dubitationes remotae sunt (v. infra), tum etiam Romanos membrum virile coluisse demonstrat Plinius n. h. XXVIII 39 (*Fascinus . . . . qui deus inter sacra Romana a Vestalibus colitur*); cf. ea quae Aust in Roscheri lex. myth. II 662 disseruit. Deinde p. 244 adn. 2 de templo Cereris Liberi Liberaeque disserens Cererem esse deam indigetem affirmat, sed Henrico Jordano in Prelleri myth. Rom. II p. 49 adn. par Liberum Liberamque Italicae esse originis, quod Romanorum mos binos deos eodem nomine appellandi usitatior sit quam qui non fuerit proprius religionis gentium Italicarum, contendenti vehementer adversatur. At enim paria nomina in suam rem vertens concludit, *dass wir es hier mit einer künstlichen Bildung zu thun haben, die dem Liber zu Gefallen auch die Κόρη ebenso benannte.* Sed si duo numina artius inter se coniungere Romanis visum est, cur *Κόρην* non adiunxerunt *Δήμητρι*, filiam matri?

Quodsi R. Reitzenstein, Epigramm und Skolion p. 216 contra Jordanum *Ἀρτέμιδα Λύαιαν* Syracusis cultam auxilio vocat, hoc rem non expedit. Nam non *Ἄρτεμις* accersita est, sed *Κόρη*, cui cognomen *Λύαια* non erat. — Inspicias praeterea p. 4 adn. 2, ubi de cognomine *patre* dei Romani proprio monui.

denotandam, deinde per errorem loco ludorum Cereris, [1] tum maxime ad Διονύσια latine vertenda. [2]

Restant qui ferias ipsas easque Romanas respiciant Varro et Ovidius. Ille ut nomen interpretaretur l. l. VI 14: *Liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die sedent sacerdotes Liberi, anus hedera coronatae, cum libis et foculo pro emptore sacrificantes;* hic fast. III 713 sqq. missis iis, quae multa inania ad ritus explicandos finxit: *vilis anus hedera cincta populos ad sua liba vocat.* Uterque idem tradit. Ac primum quidem tenendum est utrumque scriptorem esse usum tempore praesenti, unde sequitur, ut ista instituta primo a. C. saeculo adhuc observata sint. Eadem num fuerint priscis temporibus dubitari potest.

Liberalia ut feriae publicae celebrabantur publicis sacris, quae utrumque scriptorem non commemorasse eo magis est mirum, quod et Varro et Ovidius inlustrare aggressi sunt Liberalium nomen ac ritum eaque cohaerent cum sacro publico, non cum privata quadam sollemnitate. [3] Illud vero sollemne publicum opinor auctores ideo neglexisse, quia fiebat quidem, sed erat obsoletum. Obsoletum autem erat, quia sacellum in Capitolio situm et sacrum erant dedicata deo indigeti prorsus diverso a Libero eo, quem Romani tum praecipue venerabantur cum Cerere coniunctum. Itaque cum haec sacra fierent publice usque ad tempora recentissima, cuius Romanorum consuetudinis prisca retinendi permulta extant exempla, ea, quae non erant civitatis, sed privati hominis mutata sunt eo sensu, ut instituta ritusque

---

[1]) Hos spectat fortasse Tertullianus apol. 42, qui testis est Liberalibus in publico epula esse parata. Nam Cerealibus convivia plebis fiebant.

[2]) Hoc in numero referendi sunt praeter alios ludi Liberales Naevii (Fest p. 116: *libera lingua loquemur ludis Liberalibus*). Tamen haec Liberalium significatio tum rara fuisse videtur. Nam et Plautus et Terentius semper vocabulo Graeco utebantur (Cist. v. 91. 158. Curc. v. 644. Pseud. v. 59. Heaut. v. 162.)

[3]) Erravit J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III [3] p. 212 adn. 4.

numinis peregrini iamdudum culti etiam ad illas ferias transferrentur. Sollemnia autem a Varrone et Ovidio memorata redolent Graeciam. Etenim quo spectant mulieres sacra deo ita praestantes, ut ampliore sensu a Varrone sacerdotes nominentur nisi ad numen Graecum? Adde quod anus illae erant coronatae hedera dei Graeci propria.[1]) Praeterea argumentum non leve sumo ex Saturnalibus, quae feriae ut institutae in honorem dei indigetis ita inde ab a. 217 graeco ritu fiebant (cf. Catonis frg. p. 48, 14 Jordan).

Verum enim vero quod Liberalibus vini, cuius repertorem potissimum ac tutorem Romani Graecorum morem secuti Liberum venerabantur, mentio non fit, id ipsum gravissimam mihi praebet ansam coniciendi Romanos suum Liberum aliter coluisse atque numen veste indutum Graeca. Idemque docet mos pueris dandi Liberalibus togam virilem, cuius usus testes sunt Ovidius fast. III 771 sqq. et Cicero ad fam. XII 25, 1 *(dies festus a. d. XVI Kal. April. quo toga virilis dari solebat).*

Manifestum enim est pueros togam[2]) sumpsisse Liberalibus non per casum, sed quia iis erat necessitudo quaedam cum deo, in cuius honorem feriae celebrabantur, quae necessitudo ut remotissima erat a cultu numinis Graeci ab Ovidio usquequaque cogitati ita firmissimum promitur fundamentum ut fulciatur inde, quod Ovidius morem illum carmine copiosius celebravit, id quod nisi pueri aetatem virilem ingressi et Liberum coluissent non fecisset.

Quae adhuc de dei Liberi origine disserens extra dubitationem omnem posuisse mihi videor, ea ut complectar, Libero ante aetatem reipublicae liberae fuerunt dedicata feriae templumque i. e. deus fuit sui iuris atque indiges. Neque vero hi honores dati erant vini deo, sed ei, cui

---

[1]) Cf. ea quae Thraemer in Roscheri lex. myth. I 1060 exposuit.

[2]) *Toga virilis* a poetis nominatur etiam *toga libera*. Haec significatio utrum orta sit ob memoriam dei Liberi an quod pueri liberiorem vitam (Ovid. fast. III 778) ingredi coepisse visi sint incertum est.

necessitudo quaedam erat cum pueris. Romanis autem etsi priscum deum eique ferias a maioribus dicatas etiamtum colebant, qua natura initio fuerit numen per saecula de memoria exciderat; fingebant sibi deum Graecum eiusque caerimonias instituebant et agebant.

Venimus nunc ad Varronis libros antiquitatum. In libro XVI quo agitur de dis selectis Liber occurrit deus fecunditatis ac seminum, sed nusquam inter deum Graecum et Romanum fit discrimen, quod Varro omnino non agnoscit. [1]) Itaque tantum abest, ut in libro XVI deum Romanum tangi colligamus, ut Varronem ad hanc Liberi naturam denotandam phalli cultum Graecorum respexisse pro certo habeamus.

Neque aliter iudico de pudendis virilibus in Liberi honorem per Italiae compita cultis, quibus sacris maxime

---

[1]) Cf. frg. libri XVI, quae Erdm. Schwarz (Jahrbüch. für klass. Philol. Suppl. XVI p. 405 sqq.) composuit; August. de civ. dei VII 21: *Liberum liquidis seminibus ac per hoc non solum liquoribus fructuum, quorum quodam modo primatum vinum tenet, verum etiam seminibus animalium praefecerunt*; VII 19: *Quid ad haec* (sc. semina) *dii alii requiruntur, maxime Liber et Libera, id est Ceres? De quibus rursus, quod semen attinet, tanta dicit, quasi de Saturno nihil dixerit*; VI 9: *Ad haec addunt mulieres attributas Libero et vinum propter libidinem concitandam. Sic Bacchanalia summa celebrabantur insania: ubi Varro ipse confitetur a Bacchantibus talia fieri non potuisse nisi mente commota. Haec tamen postea displicuerunt senatui saniori, et ea iussit auferri*; VII 21: *Inter cetera, quae praetermittere, quoniam multa sunt, cogor, in Italiae compitis quaedam dicit sacra Liberi celebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in eius honorem pudenda virilia colerentur, non saltem aliquantum verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitia. Nam hoc turpe membrum per Liberi dies festos cum honore magno plostellis impositum prius rure in compitis et usque in urbem postea vectabatur. In oppido autem Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset atque in loco suo quiesceret. Cui membro inhonesto matrem familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere. Sic videlicet Liber deus placandus fuerat pro eventibus seminum, sic ab agris fascinatio repellenda*; VI 24: *In Liberi sacris honesta matrona pudenda virilia coronabat spectante multitudine.*

Lanuvini indulgebant. Nam licet etiam Romani membrum virile ut signum fertilitatis coluerint [1]), tamen tribuebatur *in oppido Lavinio unus Libero totus mensis, cuius diebus omnes verbis flagitiosissimis uterentur, donec illud membrum per forum transvectum esset atque in loco suo quiesceret,* qui dies festi per tam longum temporis spatium producti et cum maxima licentia celebrati explicari non possunt, nisi de vindemia per totum mensem facta cogitetur. Ergo Liber iam deus est vini. Adde quod dies festi illi celebrabantur Varronis aetate, sed quo tempore institui coepti sint erui haudquaquam potest.

Verum inquirentibus nobis de prisca Liberi natura lucem allaturum esse spero antiquitatum librum XIV quo agitur de dis certis. Varronis fragmenta ad nostrum deum spectantia huc appono: August. de civ. dei VI 11: *ipse* (sc. summus deus) *sit Liber in vineis; ipse sit postremo etiam in illa turba quasi plebeiorum deorum: ipse praesit nomine Liberi virorum seminibus et nomine Liberae feminarum.* VI 9: *Liberum a liberamento appellatum volunt, quod mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur; hoc idem in feminis agere Liberam, quam etiam Venerem putant, quod et ipsas perhibeant semina emittere; et ob hoc Libero eandem virilem corporis partem in templo poni, femineam Liberae.* VII 2: *Haec numina utrum propter maiores in mundo administrationes selecta dicuntur an quod populis magis innotuerunt maiorque est eis cultus exhibitus? Si propterea quod opera maiora ab his administrantur in mundo, non eos invenire debuimus inter illam quasi plebeiam numinum multitudinem minutis opusculis deputatam .... ibi est Liber, qui marem effuso semine liberat; ibi Libera, quam et Venerem volunt, quae hoc idem beneficium conferat feminae, ut etiam ipsa emisso semine liberetur. Omnes hi ex illis sunt, qui selecti appellantur.* VII 3: *confert selectus Liber*

[1]) Cf. p. 29 adn. 1.

eiusdem seminis emissionem viris; confert hoc idem Libera, quae Ceres seu Venus est, feminis. — Liber et Libera seminum commotores vel emissores. VII 16: *Liberum et Cererem praeponunt seminibus, vel illum masculinis, illam femininis.* [1])

Videmus Varonem in libro XIV Libero prorsus aliam potestatem attribuisse quam in libro XVI ceterisque scriptis. Nam ille deus nisi hominis procreandi nullam habet potestatem, cuius vestigium Libero posteriorum temporum non adhaeret. At non deest, quare Liber seminibus hominis sit praepositus, *quod mares effuso semine liberat.* Sed hanc explicationem esse stultissimam neque consonam venerationi Liberi, verum etymologiae causa inventam, ut muneri dei conveniat cum nomine, quin censeat vix credo erit. Accedit quod idem munus feminis praestare Libera dicitur. [2])

Quare cum teneamus Liberum habuisse potestatem eam, quam habuit deus neque Graecus neque Romanus Graecarum fabularum infectione mutatus, solis a priscis Romanis Liberum seminibus hominum praeesse creditum concludere licet, quae conclusio bene quadrat ad vetustissimas dei ferias, Liberalia.

Ut enim etiam Varro dies festos ad numen Graecum rettulit, ita nobis ipsis fuit statutum ferias et a vini deo esse abiudicandas et cum pueris in aetatem virilem ingredientibus coniungendas. Iam vero pueri Liberum venerari solebant tum, cum in aetatem virilem ingressi erant i. e. vis iis erat hominis gignendi. Nam ea fuit prima causa sollemnitatis, non toga sumenda, qui mos posteriore tempore institutus illam causam e memoria Romanorum obscuravit atque abstulit.

---

[1]) Hoc loco Augustinus vel Varro Cererem neglegentius pro Libera posuit non modo nomine, sed etiam re permutatis; nam pergit: *vel illum liquori, illam vero ariditati seminum,* id quod nos commonefacit de vino et pane.

[2]) Cf. R. Peter in Roscheri lex. myth. II 153.

Ergo e paucis quae ferunt ad priscum deum vestigiis apparet Romanos Libero attribuisse vim creandi, quam deinceps ampliore sensu valuisse non modo ad hominem gignendum, sed etiam ad animalia frugesque procreanda consentaneum est.

Quoniam Liberum ut patronum puberum adulescentium cognovimus, nobis in mentem venit Iovis eodem sensu culti (Serv. ad Verg. Ecl. IV 50: *Iovem merito puerorum dicunt incrementa curare, quia cum pueri togam virilem sumpserint ad Capitolium eunt)* idque solum nos moneret, ut duo numina quodammodo inter se coniungeremus, nisi insuper Iovis Liberi cultus ad memoriam nostram plane esset servatus. Atque ne longus sim, mihi est persuasum Liberum se disiunxisse a Iove Libero ac deum factum esse sui iuris [1]), quod simile G. Wissowa in Roscheri lex. myth. II 2022 coniecisse puto, cum dicit ita: *Wahrscheinlich ist Liber in ähnlicher Weise wie Quirinus aus einem Attribut einer andern Gottheit zum selbständigen Gott erwachsen.* [2])

Extant quibus Iovem Liberum in Italia cultum esse demonstretur testimonia haec: in Frentanis inventum est caput Iovis barbati aeneum antiqui temporis, cui subscriptum est *Ioveis Lofreis* (Th. Mommsen Dial. t. VII 2 = Zwetaieff Syll. inscr. Osc. t. I 2); Furfone Vestinorum a. 696 u. c. *aedes Iovi Libero* dedicata est (CIL I 603 = IX 3513); ad Cures, urbem Sabinorum, repertum titulum *Iovei Leibero s.* edidit H. Jordan in indice lect. Regim. 1886/87 p. 3 eumque septimo u. c. saeculo adscribendum esse iudicat. Eodem loco vir inlustris Mommsenum vituperat, quod titulos Capuanum anni p. C. 15 CIL X 3786 *(Druso Caesare C. Norb(ano) / cos. / Iovi Liber(o)* — sequuntur nomina sex

[1]) Libera dea non obstat; nam haec trahit originem a Libero.

[2]) Placet similem inter *Δία* et *Διόνυσον* rationem intercessisse attingere; legitur ap. Kaibel, inscr. Gr. Sic. et It. 1055, 22: *Διὶ Βάκχῳ*; Orph. frg. 235: *ἀγλαὲ Ζεῦ Διόνυσε*. Cf. praeterea quae G. Voigt in Roscheri lex. myth. I 1045 sq. disseruit.

magistrorum — *d(e) s(ua) p(ecunia))* et Amiterninum IX 4513 *(pro salute / P. Betuleni / Apri liberis/que eius Iovi / o(ptimo) m(aximo) / Libero Lib(erae) / Niceforus act(or) v. s.)* in indicibus horum voluminum Iovi Libero detractos Iovi Libertati illum, hunc Iovi, Libero, Liberae attribuerit. Neque ego quidem intellegere possum, cur titulus X 3786 Iovi Libero abiudicandus sit. Sed de titulo IX 4513 Theodoro Mommsen adstipulor (v. p. 11). Romae memoria Iovis Liberi titulis non firmatur. Fasti soli fratrum Arvalium (Henzen p. CCXXXVI) adnotant ad Kal. Sept. sacrum dicandum *Iovi Libero, Iunoni Reginae in Aventino.* Cum vero hunc *Iovem Liberum* et *Iovem Libertatem*, cuius cultus titulis C I L I 1124 = XIV 2579 et XI 657 extra dubitationem positus est, eundem fuisse deum verisimillimum sit [1]), et *Libertas* cognomen recentius sit [2]), illum Iovem Liberum confundere cum eo, quem apud gentes Italicas esse cultum tituli supra allati testantur, sunt qui dubitaverint. Accedit quod aedes dei, quam aetate demum Camilli aedificatam esse Th. Mommsen, res gest. divi Aug. p. 81 coniecit, fuit in Aventino.

Utique valde mirum est, quod Roma et Latium unum praebent testimonium Iovis Liberi idque dubitationibus obnoxium. Quod numen Romanis omnino ignotum fuisse noli accipere. Nam Iuppiter Libertas quamquam recentioris temporis tamen etiam Romanos suo Iovi talem vim naturalem, qualem fert Liber, adscripsisse lucide inlustrat. Itaque cum Iovis Liberi ex ceteris Italiae regionibus testimonia certa afferri possint, ne de Romano quidem dubitari potest. Verum sic statuo: apud Romanos Iovem Liberum a Libero, stirpe eius, esse obscuratum, apud gentes Italicas Iovem etiam posteriore tempore naturalem vim prae se tulisse, ita ut et Iuppiter Liber et Liber colerentur.

---

[1]) Cf. E. Aust in Roscheri lex. myth. II 664.

[2]) H. Jordan ap. Prellerum myth. Rom. I 195 adn.

Quaeritur nunc, qua potestate fuerit Iuppiter Liber, cuius natura plurimum valet etiam ad priscam Liberi naturam, praesertim cum Liberum emanasse e Iove Libero pro certo habeamus.

Ac Iovem quidem ut tutorem vindemiarum a Romanis cultum esse satis constat. In hemerologiis enim tres dies festi ad vinum pertinentes dicati sunt Iovi: Vinalia rustica XIV Kal. Sept. quo die *flamen Dialis auspicatur vindemiam et ut iussit vinum legere agna Iovi facit* [1]) (Varro l. l. VI 16), Meditrinalia a. d. V Id. Oct. quo die primum gustabant

[1]) Theodoro Mommsen CIL I² p. 315 adnotanti Vinalia rustica non esse celebrata pro suscipienda vindemia, quippe quae cadat ad maximum in medium mensem Septembrem, adstipulari nequeo. Plinii enim verba n. h. XVIII 284: *tria namque tempora fructibus metuebant, propter quod instituerunt ferias diesque festos Robigalia, Floralia, Vinalia* ita reicit, ut Plinium postea tres dies festos accuratius explicantem *Vinalia priora, quae nihil ad fructus attinent* (XVIII 287), respexisse affirmet. Sed inter ferias ad fructus pertinentes Vinalia priora memorare eaque eodem tenore dicere ad fructus nihil attinere qui potuit homo sanus? Plinius vero Vinalibus rusticis ampliore explicatione opus non esse ratus illis verbis: *Vinalia priora nihil ad fructus attinent* id tantum egit, ut impediret, ne duae feriae, Vinalia priora et rustica, confunderentur. Quodsi Mommsen pergit: *reiecit eam explicationem etiam Varro apud eundem XVIII 289 significans diem Vinalium rusticorum tempestatibus leniendis institutum esse,* viro egregio oppono verba sequentia: *Varro ea fidicula incipiente occidere mane determinat, quod vult initium autumni esse et hunc diem tempestatibus leniendis institutum esse.* Namque vindemiam auspicari — hoc non est uvas decerpere — quo die *initium* esse indicabatur *autumni*, quod anni tempus potissimum in uvis colligendis versatur, nonne est in propatulo? verba Fest. ep. 264, 5: *rustica Vinalia XIV Kal. Septembris celebrabant, quo die primum vina in urbem deferebant,* qui locus Mommseno fundamentum coniciendi praebet, errore scripta revera ad Vinalia priora esse referenda J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III² 333 adn. 7 et E. Aust in Roscheri lex. myth. II 704 bene dixerunt. Denique si Mommsen censet has ferias tum institutas esse, cum coepit consuetudo apud Romanos vini boni non bibendi nisi fere annui (Varro d. r. r. I 65), i. e. posteriore tempore (cf. Vinalia priora), quaestio exoritur, num potius feriae dicandae fuerint Libero, in cuius cultum interim etiam vinum esse translatum verisimile est.

mustum, Vinalia priora a. d. IX Kal. Mai. quo die vinum novum Iovi libabant. Hisce in sacris publicis celebrandis Liber nusquam invenitur. At item Iuppiter frustra a nobis requiritur inspicientibus vindemiam ipsam et inscriptiones et scriptores vinum tangentes. Itaque Vergilius Georgicon libro II nullius dei nisi Liberi mentionem facit, quem sequitur Columella XII 18, 4: *sacrificia Libero Liberaeque et vasis pressoriis quam sanctissime castissimeque facienda* et Paulus p. 349: *suffimenta dicebant, quae faciebant ex faba milioque molito mulso sparso. Ea diis* (sc. Libero Liberaeque) *eo tempore dabantur, quo uvae calcatae prelo premebantur* et maxime Festus p. 319: *Sacrima appellabant mustum, quod Libero sacrificabant pro vineis et vasis et ipso vino conservandis sicut praemetium de spicis, quas primum messuissent, sacrificabant Cereri.* Ut enim Ceres praeerat frugibus ita Liber vitibus. Praeterea menologia rustica adnotant Libero sacrum idibus Octobribus (v. p. 5).

Unde publice Iovi, privatim i. e. praeter tres illas ferias omnibus occasionibus soli Libero vinum fuisse attributum in propatulo est. Quae discrepantia expediri nequit nisi statuimus initio Iovem solum vinum tutatum esse, paulatim vero in locum eius successisse Liberum ita, ut a Romanis ad instituta religionis mutanda haud facile pronis ille diebus festis publicis usque ad tempora recentissima celebraretur, ceteroquin hic omnino sufficeretur.

Quae cum ita sint, facile est colligere Vinalia pertinuisse ad Iovem qui cognominabatur Liber. Atque Preller myth. Rom. I 195 Vinalia Iovi Libero adscribere non dubitat. At G. Wissowa l. l. p. 2022 ita dicit: *eine spezielle Beziehung des Iuppiter Liber auf den Weinbau, als dessen Beschützer ja Iuppiter verehrt wird, lässt sich nicht nachweisen.* Medium tenet locum Aust, qui in Roscheri lex. myth. II p. 662 haec disserit: *Ob man dem Iuppiter Liber in Beziehung zu den Vinalia setzen darf, kann nicht entschieden werden, ausgeschlossen ist es nicht, da ja der Wein*

zu den Producten gehört, welche die Gunst des Himmels in erster Linie nötig haben; und hierin lag der Ausgangspunkt für die Annäherung von Iuppiter Liber und Dionysos, wenn wir annehmen wollen, dass sich zwischen ihnen ein ähnlicher Ausgleich vollzog wie zwischen Dionysos und Liber; direkte Zeugnisse dafür gibt es nicht.

Quamquam titulum illum, quem H. Jordan in lect. ind. Regim. 1886/87 (v. p. 35) in publicum edidit, rationem quandam inter Iovem Liberum et vinum exhibere contendo. Una enim cum titulo reperta sunt duo feminarum sigilla marmore rubro efficta nebride copertarum, vasa in capite gestantium. Haec signa cum Iove Libero quodammodo coniuncta fuisse — veluti H. Jordan ipse coniecit intra magnae dei aediculae spatium ornamenti vice constituta fuisse — negare eo minus sum pronus, quia Dionysus nomine Romano Liber appellatus illo tempore in universa Italia est cultus. Iovis igitur Liberi, qui praesertim Romanis parum notus erat, naturam sic inlustrare in promptu fuit.

Verum nihil aliud inde effici posse nisi Iovem Liberum Dionyso exaequatum cum vino nescio quo modo coniunctum esse idque postremo demum a. C. saeculo non ignoro. Idemque num de Libero Iove prisco eoque, quem deum omnium gentium Italicarum communem fuisse nobis est persuasum, iudicari possit non est extra dubitationem positum.

Cui deo priusquam Liber vino praeesse ab Italiae gentibus credebatur, hoc curae fuerit certo non firmatur testimonio. Sabini vero Sabum, auctorem gentis quem vocabant, ut vitisatorem vinitariam manu falcem ferentem effinxisse nobis traduntur,[1]) quae opinio ut vitium culturam apud gentes Italicas vetustissimam fuisse et sententiam, quam V. Hehn protulit (v. p. 28), falsam esse demonstrat, ita perbene quadrat ad Iovem a Romanis vino praepositum;

[1]) Cf. Verg. Aen. VII 179. Ioh. Lyd. de mens. I 5.

nam Sabus stirps esse Iovis credebatur (H. Nissen, templ. p. 114. 134. Preller myth. Rom. II 295). Itaque res rediit ad Liberum Romanorum Iovem, cuius cur tam parva vestigia extent supra notavi.

Iam vero facere non possum, quin Georgium Wissowa, virum inlustrem, secutus Iovem Liberum non pertinuisse ad vinum contendam. Nam ubicunque Iovis cum vino cohaerentis mentio fit, Liber cognomen non additur neque unquam relatus est Iuppiter Libertas (v. p. 6 adn. 1) ad vinum. Deinde si Libero Iovi Vinalia adscripseris, vix explicabis, cur Liber hereditatem Iovis Liberi ceteram assecutus Vinalia vel tangere quasi anxie veritus est. Et admiratio, quod Liber ne leviter quidem cum Iove Libero consociatus fuerit, augetur tibi videnti Venerem postea Iovi aggregatam Vinalibus. [1])

Contra arbitror Liberum iam se disiunxisse a Iove Libero et deum sui iuris factum fuisse, cum Romani uvas colere discebant. Et munere vini tutandi quod summus deus functus sit tibi admirationem non movebit cogitanti, quanti momenti apud plurimas Italiae gentes vitium cultura fuisse videatur a priscis temporibus. Iovis autem in locum, ita ut iam non Iuppiter, sed Liber vinum tutari ac largiri perhiberetur, succedere coepit Liber inde demum, cum cultus Dionysi, cuius figuram ille induit, Romam erat transvectus. Quod cum accideret quo tempore suae cuique feriae numini adscriptae publice ac fixae iam erant, Vinalia ad Liberum referri non posse perspicuum est.

Dionysi cultus Romae institutus est ex libris Sibyllinis. Aedes enim Cereris Liberi Liberae ab A. Postumio dictatore

---

[1]) Quominus sequar Prellerum, qui myth. Rom. I 194 Iovem esse Liberum, Venerem Liberam contendit, ita ut posteriore tempore in locum paris Iovis Venerisque par Liber Liberaque successisset, impedior et Varronis testimonio (l. l. VI 16: *Vinalia a vino, hic dies Iovis non Veneris)* et Veneris origine. Cf. etiam quae p. 14 de titulo CIL VIII Suppl. 15578 disserui.

vota et locata a. 496 a Spurio Cassio consule dedicata est a. 493. [1]) Haec trias *Δημήτηρ Διόνυσος Κόρη* statim patriis nominibus est appellata, id quod fieri non potuit, nisi numina Romana cum Graecis communi ratione ac natura erant coniuncta. Quodsi qua fuisse natura trias Graeca videatur quaerimus, certiores nos facit Dionysius VI 17, qui inopia fameque urbem premente deos Romam esse advectos dicit. [2]) Sunt ergo in universum numina fecunditatis atque inter se coniuncta ita, ut ad quam partem potestas uniuscuiusque numinis praecipue pertineret omitteretur neque Dionysus ante omnia vinum largiri crederetur. Itaque Romanis circumspicientibus, qui patrii peregrinis dei maxime responderent, Ceres Liber Libera, cum item dei essent fecunditatis, oblatae sunt. Quorum Liber Liberaque a primo alter alteri fuerunt consociati, qua de causa Romani Dionyso *Κόρην* artius quam e religione Graeca adiunxernnt (v. p. 29 adn. 1). At Ceres et Liber, par a scriptoribus frequentissime usurpatum [3]), ad priscam vetustatem non recedunt. Nam Cererem et Liberum, qui uterque vim creandi promiscue exhibent, scriptores ita vocant, ut Ceres cibum, Liber potionem dare perhibeatur. Sed ut haec nunc relinquam, quoniam trias illa nominibus latinis assumptis superstitioni Romanorum inserta erat, Romani inde ab a. 493 Cererem Liberum Liberam in uno eodemque templo ut deos Graecos Graeco ritu, Cererem et Liberum Liberamque diversis locis ut deos Romanos Romano ritu venerabantur. Cum vero trias ipsa a primo cultus tempore summa usa sit

---

[1]) Tacit. ann. II 49. Dionys. VI 17. 94.

[2]) *Ἐπάνισαν γὰρ αἱ τροφαὶ τοῦ πολέμου κατ' ἀρχὰς καὶ πολὺν αὐτοῖς παρέσχον φόβον, ὡς ἐπιλείψουσαι.* Praeterea cf. Cyprian. de spect. 4.

[3]) Varro de r. r. I 1 inter illos XII deos, qui maxime agricolarum duces sunt, tertio loco vocat *Cererem et Liberum, quod horum fructus maxime necessarii ad victum. Ab his enim cibus et potio venit e fundo;* cf. Quintil. III 6, 24. Verg. Georg. I 7. Tibull. III 7, 163. Iul. Flor. 11 et Plin. n. h. III 60. Paneygr. ed. Bährens p. 166, 29.

auctoritate, paulo post Romana Graecis eiusdem nominis numina exaequandi Romanos cupidinem incessisse facile intellegitur. Ac primum quidem Cereris si non natura at certe cultus est commutatus. Ea enim primum tenebat locum duosque alios adeo anteibat, ut ampliore titulo omisso aedes Cereris legatur. Neque igitur mirandum est, quod Cerealia etsi antiquissimarum feriarum diis patriis dicatarum ea fuisse ex hemerologiis elucet omnino sunt relata ad numen Graecum, praesertim cum aedes Cereris Liberi Liberae Cerealibus consecrata sit (cf. Aust, de aed. sacris pop. Rom. p. 39 sq.). Deinde autem secutus est Liber nec dubito equidem, quin necessitudo illa Cereri cum Libero intercedens ad hunc deum veste Graeca induendum multum contulerit. Ut enim ab a. 493 Ceres i. e. *Δημήτηρ* Romam translata aliis deabus agrestibus magis magisque dimotis arva tueri frugesque offerre credebatur, ita Liber pleniore natura ad fecunditatem universam pertinente obscurata numineque, quod ad id vino praeerat, plane fere remoto alter *Διόνυσος* esse et vinum ante omnia tutari ac largiri existimabatur. Et abhinc demum illam opinionem extitisse apud Romanos puto, cuius luculentissimum praebet exemplum Terentius, cum canit: *sine Cerere et Libero friget Venus.* Tamen valde mirum est Cererem et Liberum, quos inter se nexos scriptores iterum atque iterum celebrant, in titulis coniunctos non occurrere. Triadem Aventinam nullus exhibet titulus neque dubium est, quin eius cultus recentissimis temporibus apud populum minore auctoritate usus sit atque cesserit singulis diis, Libero aut Cereri cum Proserpina.

At si quis hic ex me quaerat, quem deum Romani ante a. 493 in vindemia facienda celebraverint, Iovem dico. Neque vero eo, quod summus deus non modo Vinalibus ipsis, sed etiam per totum mensem Septembrem vel Octobrem, cum vindemia fiebat, quem in locum successit postea Liber, ut vini deus cum hilaritate ac lascivia celebratus fuerit offendimur reputantes etiam Iovem initio praecique

pertinuisse ad naturam. Neque negare prorsus in animo habeo etiam alia numina rustica, quin etiam Liberum, ab agricolis in vindemia esse culta. Sed primatum tenebat tum Iuppiter, dum post a. 493 e diebus vindemiatorum festis extrusus est a Libero.

Praeterea quae sint patria ac domestica instituta in diebus vindemiae festis celebrandis, quos Vergilius solus aliquanto copiosius tactavit, quae aliunde assumpta discerni prorsus non potest. Mutationes utique per saecula factae sunt, praeterquam quod Iovis partes subiit Liber. E Vergilii versibus sumi nulla possunt argumenta [1]; nam poetae

---

[1]) Vergil. Georg. II 380—396:

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Caeditur et veteres ineunt proscaenia ludi
Praemiaque ingeniis pagos et compita circum
Thesidae posuere, atque inter pocula laeti
Mollibus in pratis unctos saluere per utres.
Nec non Ausonii Troia gens missa coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
Hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
Complentur vallesque cavae saltusque profundi
Et quocunque deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque et liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in viribus torrebimus exta colurnis.

Oscilla, quae et ipsa in feriis Sementivis et in cultu Maniae et Larum compitalium occurrunt (cf. Preller myth. Rom. II p. 69. J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III p. 192. 200), tamen invecta esse videntur in Liberi cultum e Graecia (cf. Probum ad Verg. Georg. II 385: *hic ritus oscillorum iactationis frequens in Italia ab Atticis est traditus).* Nam Attici in Dionysi festis diebus αἰώρας, quae latino nomine oscilla nominantur, suspendebant. Cuius ritus de origine cf. Lobeck, Aglaophamus p. 385. O. Jahn Arch. Beiträge p. 324 sq., qui de fabula Romana a Festo p. 194 oscilli vocabuli interpretandi causa allata monet, imprimis Boetticher, Baumkultus p. 83 sq., qui oscillorum ritum e Graecia advectum esse censet.

semper ante oculos versata sunt Διονύσια Graecorum feriae neque quidquam invenitur institutum, quod non et ipsum Graeci in feriis Dionysi celebrandis observaverint, ut si quis omnem sollemnitatem redolere Graeciam contendat quod opponam vix habeam.

Restat, ut de mystica Liberi natura pauca disseramus. Quod religionis genus cum superstitioni Romanorum non modo ignotum, sed etiam prorsus oppositum esset ac repugnaret, per se manifestum est Romanos etiamsi naturalem Dionysi vim suo Libero iam inde ab anno 493 attribuerint, tamen mysticam attribuisse eidem deo tum, cum religio labi coepit. Quodsi circumspicimus qua fere aetate mystica sacra ad Liberum aspirasse coepisse videantur, statim nobis in mentem venit Bacchanalium. Iis venim demonstratur tantum afuisse, ut Romani altero a. C. saeculo ineunte Liberum mystice ac fanatice colerent, ut contra sacra mystica ad novum quasi numen referrent. Namque quo tempore senatus populusque Romanus ut mysteria Bacchi radicitus tollerent omni vi nisi sunt, Liberum omnino Dionysi figuram induisse scriptores luculenter docent. [1]) Admodum igitur est notandum sacra mystica allata ex Etruria ipsa, ubi Graecis auctoribus mysteria ad vini deum pertinebant, adiuncta esse non ad Liberum, sed ad novum numen a Libero prorsus diversum. Etenim neque in Senatus consulto de Bacchanalibus facto neque apud Livium (XXXIX 8 sq.) extat vestigium ullum, unde necessitudinem illi Baccho cum Libero a Romanis publice graeco ritu culto intercessisse conicias. Sacra nocturna fiebant in luco Semelae, quam Stimulae in indigitamentis quae vocantur appellatae, sed cum Libero non consociatae aequare Romani veriti non sunt. [2])

[1]) Praeterea adeundus est Dionysius, qui VII 72 Fabio Pictore auctore usus tradidit in pompa ludorum Romanorûm imagines deorum easque Graecas, in his Liberi, esse vectas.

[2]) Prorsus erravit Weissenborn in Livii editione, cum posteriora tempora respiciens Libero patri initia fuisse dedicata cogitat (ad

Postea vero ubi primum religio Romano rum corrupta et depravata est, hunc Bacchanalium cultum etiam ad Liberum patrem transferre non dubitatum est. Ita apud Livium legis nusquam Liberum, at Tertullianus scribit apolog. 6: *Liberum patrem cum mysteriis suis consules senatus auctoritate non modo urbe, sed universa Italia eliminaverunt* itemque Augustinus (de civ. dei VI 9) et alii.

Ergo Liberum ante alterum a. Ch. n. saeculum fanatice cultum non esse pro certo habemus. Nonnullius autem esse momenti puto inspicere, quae aliae religiones sacra mystica vel orgia exhibentes, quam diu libera erat respublica, aliunde sint advectae.

Ac primum quidem dignus est qui commemoretur cultus Magnae matris Idaeae, qui idem docet quod Bacchanalia. Illa dea a. 204 Pessinunte, ex oppido Phrygiae, Romam traducta templum in Palatio et Megalesia dies festos accepit. Cultus vero eius ita est institutus ut quidquid abhorrebat a ritu caerimoniisque domesticis celebrare Romani cives vetarentur. [1]) Quod nisi provisum esset, vix nomen deae indigetis esset datum peregrino numini. Neque ante aetatem imperatorum orgia, quae Asiani Matri magnae agere solebant, Romanorum animos contaminaverunt.

Tempore fere bellorum cum Mithridate gestorum dea quaedam e Cappadocia Romam migravit ibique sedem accepit ita, ut nomen Bellonae, numinis Italici, sibi vindicaret. Cuius cultum saevum et effrenatum administrabant sacerdotes fanatici, viri ac mulieres, Cappadoces natione.

XXXIX 15, 6: *die früher gefeierten Liberalien waren einfach und national gewesen, ganz verschieden von dem jetzt eingerissenen Dionysoskultus).*

[1]) Dionys. II 19: *ἀλλὰ καὶ εἴ τινα κατὰ χρησμοὺς ἐπεισηγάγετο ἱερὰ, τοῖς ἑαυτῆς αὐτὰ τιμᾷ νομίμοις, ἅπασαν ἐκβάλλουσα τερθρείαν μυθικήν, ὥσπερ τὰ τῆς Ἰδαίας ἱερά. — Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως ποικίλην ἐνδεδυκὼς στολὴν οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς κατὰ νόμον καὶ ψήφισμα βουλῆς. Οὕτως εὐλαβῶς ἡ πόλις ἔχει πρὸς τὰ οὐκ ἐπιχώρια ἔθη περὶ θεῶν, καὶ πάντα ὀπτεύεται τῦφον, ᾧ μὴ πρόσεστι τὸ εὐπρεπές.*

Cui sollemnitati interesse Romanis civibus num licuerit, facile dubitari potest. Attamen grave est discrimen inter Magnam matrem et Bellonam, utramque deam ex Asia Romam transvectam. Nam illa libris Sibyllinis suadentibus advocata loco numinis indigetis colebatur, haec nullo oraculo monente a Romanis sponte translata nomine vernaculae deae assumpto mysticum cultum immutatum solumque servavit.

Eodem pertinet, quod Capitolio a. 83 concremato Apollo similis esse atque deus solis orientalis existimari coeptus est.

Religiones Aegyptiorum, maxime cultus Isidis et Osiris, primo a. C. saeculo Romanorum animos vehementer incesserunt. Ipso in Capitolio sedem sibi sumpserant et a. 58 senatus istos deos aris eversis abdicavit. J. Marquardt, Röm. Staatsverw. III[2] p. 77 adn. 3 numina illa paulo post secundum bellum Punicum Romae culta esse censet. Valerii enim Maximi verba I 3, 4: *L. Aemilius Paulus consul, cum senatus Isidis et Serapis fana diruenda censuisset* sq. sic interpretatur, ut L. Aemilium Paulum non fuisse consulem a. 50, quod Preller vult, sed a. 182 et 168 eumque, qui Perseum regem vicit, affirmet. Quam sententiam G. Wissowa ibidem recte reiecit et Prellero assensus est, cum numina Aegyptiorum a. fere 200 Romam iam esse invecta alia unde eluceret argumenta desiderarentur.

Quibus de causis affirmanti mihi quemadmodum ante primum a. C. saeculum nulla unde Romanos sive deum indigetem sive peregrinum mystice vel fanatice veneratos esse concludi possit vestigia inveniantur, ita medio saeculo primo talem cultum fuisse usitatum adstipulaberis.

Atque ad eandem fere aetatem cadunt testimonia quae pertinent ad Liberum mysticum. Apud Ciceronem enim de nat. deor. II 62 legimus: *Liber Semela natus diversus ab eo, quem Romani auguste sancteque Liberum cum Cerere et Libera consecraverunt, quod quale sit ex mysteriis intellegi potest*, unde Ciceronis aetate Romanos Liberi naturam in duas partes diversas digredi non ignoravisse discimus.

Gravissimum certe testimonium affert Servius, qui ad Verg. Ecl. V 29 *(Daphnis et Armenias curru subiungere tigris Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi Et foliis lentas intexere mollibus hastas)* ita adnotat: *Hoc aperte ad Caesarem pertinet, quem constat primum sacra Liberi patris transtulisse Romam.* Haec sacra Libero patri nondum ad id facta mystica ac fanatica fuisse luce clarius est, praesertim cum Vergilii versus cadant in Liberum heroem (v. p. 3).

Imperatorum temporibus mysticum Liberi numen frequentius cultum esse testes sunt et tituli et Martialis poeta, qui carmine I 70 sacelli dei fanatici mentionem facit (v. p. 8 adn. 3).

VITA.

Natus sum *Adamus Schneegelsberg* a. d. IV. Non. Sept. a. h. s. LXVI Casselanus patre Henrico, matre Dorothea e gente Heiderich. Fidem profiteor evangelicam. Rudimentis litterarum satis instructus puer undecim annorum adii gymnasium Corbacense, unde testimonium maturitatis nactus autumno anni LXXXV in almam matrem Philippinam me contuli, ut philologiae studerem. Hic per quattuor semestria audivi vv. dd. Bergmann, Birt, Cohen, Fischer, Lehmann, Lenz, Natorp, Niese, L. Schmidt, Varrentrapp, Wissowa, atque interfui proseminario philologico, quod regebat Wissowa. Tum Berolini per unum semestre me docuerunt Bresslau, Curtius, Ebbinghaus, v. Treitschke, Vahlen, Wattenbach. Deinde Marpurgum reversus sodalis fui seminarii et philologici, quod moderabantur Birt et L. Schmidt, et historici, cui praeerant Lehmann et Niese.

Mense Maio a. h. s. LXXXXI examine pro facultate docendi superato inde ab auctumno eiusdem anni Marpurgi in seminario paedagogico quod dicitur cum huius urbis gymnasio coniuncto per unum annum erudiendi atque educandi arti operam navavi. Quo absoluto per unum annum candidatus probandus fui in gymnasio Francofurtensi. Vere anni LXXXXIV migravi in scholam Solitariensem, ubi etiam nunc pueros doceo.